



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**


Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)









Th. 2965.

q. II  
46.





















A R S  
BONÆ MORTIS.

*Sive :*

Q U O T I D I A N A  
E R G A S A N C T I S S I M A M  
D E I M A T R E M

M A R I A M

P I E T A S

Ad omnia quidem utilis.

*Ad felicem tamen mortem obtinendam  
utilissima.*

A R. P. GABRIELE HEVENESI  
Societatis JESU Sacerdote

*Colleg.*

proposita.

*S. J. Paderb.*

SODALITATI DOMINORUM

B. M. V. Annunciatae

Xenii loco dicata,

M. DCC. VIII.

*Cum Facultate Superiorum & Privilegio Casareo.*

*Colonia Agrippina,*

Typis JOANNIS ALSTORFF.



Omni die dic

**M A R I Æ**

mea laudes anima.



*Nulla dies sine linea.*





## Lectori Mariano



Cum agere tibi videbor, Lector Mariano, dum pretiosissima DEI, tuæque Matris cultum in piorum clientum cordibus brevibus his pagellis renovare contendo; utpote cujus amor melioribus animabus ingenitus adeo potenter suapte naturâ bonos omnes occupat, ut hoc monitore non egeant; qui si forte frigidus cujuspiam in pectore intepuisset, integra præsto essent bibliothica, uberrimum Mariano affectui pabulum suggestura; ut proinde libelli huius conatus supervacaneus omnino videri possit. Verum cave, moneo, præpropere, laborem nostrum damnare iudicio: Tolle, lege, utere: non magna sunt, quæ peto; & pretium indubiè libellus hic te iudice non obvium obtinebit. Vide, quanta mihi, sed nec tibi minora polliceor: si libello hoc constanter uteris gaudium Mariophilis omnibus sanctis, charissimum præ reliquis MARIÆ obsequium, & certissimum tibi bona mortis præstigiū præstitisti. Adsum, ait Virgo Mechthildi, in morte eorum, qui mihi piè, sanctèque vixerunt. Vis testes? tot hic, quot annus dies, numera-



bis. Tolle, lege. (1) Unum indies è Sanctorum numero invenies, qui filiali in Sanctissimam DEI Matrem affectu reciproco ab ea favorem accepit. (2) Per hunc gratia alicujus pro beata morte impetranda additur imploratio; ad quam certius obtinendam (3) peculiaris, eaq; pro omni fere hominum sorte facilis Virginem colendi praxis suadetur; quam (4) textus è SS. Patrum monumentis ad fiduciam Marianam incitans excipit; claudit demum (5) pie curiosa de B. V. quaestio, apta Mariophilis discursuum materia. Hac varietate & brevitate, binis animorum illius, te invitant, ut filialem in DEI, tuamq; Matrem affectum quotidiano hujus libelli pabulo alas, promoveas. Nulla dies sine linea, quod si agis, locuplete laborem nostrum scenore compensasti. Tolle, lege, utere.

Ita suadet

Mariani amoris zelantissimus





## I. JANUARI.

**S** Odilo adhuc infans membris omnibus captus serpendo ad aram **MARIÆ** venit, ubi artibus sanis donatus, eos **DEI**, & ejus Matris obsequio impendere statuit; Monachus, & inde Abbas Cluniacensis factus fune super collum injecto se Dominæ sospitatrici mancipium conceptâ formulâ dixit. *Bollandus.* Fidelibus Mariæ servis omnia serviunt.

**S.** Odilo apud tuam & meam Dominam pro me intercede, ut dignus ejus servus esse, vivere & mori possim. Cui pro Xenio servitutis homagium præsto, & omnes hujus anni dies, momenta singula ejus obsequiis dico: quotquot ab hodie usque ad ultimum vitæ halitum respiria duxero, tot ardentissimi in Mariam amoris volo esse testimonia. **O Sanctissima &c.**  
*Vide fol. seq.*

Ad quod impetrandum: Quotidie aliquem **MARIÆ** cultorem è Coelitibus invocabo.

Devotum tibi esse, ô **MARIA!** est quædam arrha salutis, quam **DEUS** iis dat, quos vult salvos fieri. *Damasc. in Ann. B. V.*

Quæstio: Utrum Deipara in Inferos imperium suum protendat. *v. Vega. pal. 27. cer. 3.*



*Formula quotidie iteranda.*

O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, placere & servire desidero. Hoc unum per pretiosissimum JESU Filii tui sanguinem, per Immaculatam Conceptionem tuam, & per hodiernorum, ac omnium Sanctorum cultui tuo addictorum amorem suppliciter rogo, ut me, non obstante peccatorum meorum mole, in filium assumere, hodie in omnibus actionibus regere, ac ab omni peccato immunitatem impetrare digneris. Tibi corpus & animam, omnia diei hujus verba, cogitationes & opera demississimè offero, tu ea Filii tui, tuis, & omnium SS. meritis unita æterno Patri præsentata, ut per ea, ac tuam, ô clemens, ô pia, ô dulcis Mater, intercessionem felicem ex hac vita exitum & beatam æternitatem merear obtinere.

Hoc idem mihi impetrare: Virgineæ SS. Virginis Sponse S. Joseph, S. Joachim. S. Anna, & quotquot aliquâ cum JESU & MARIA cognatione conjuncti estis.

Omnes Sancti specialiter à Dei Matre dilecti, Vobisque imprimis quibus hodie mortuis opem illa tulit, omnesque Sancti illius diei, quæ mihi agonizanti ultima erit.

*H. J. A.*



**B.** Stephana Soncinas Ordinis S. Dominici  
virginitate à teneris voto firmatâ **MARIÆ**  
placuit, multis in æde Lauretana revelatio-  
onibus recreata: Hanc Christus cum Matre  
spectabilis invisit, & dato ingentis pretii an-  
nulo in sponsam delegit, *P. Balingh.* Nus-  
quam tutior Virginitas, quàm Patronâ Virgi-  
ne.

O B. Virgo Stephana tuis apud dilectum tibi  
sponsam, & ejus Matrem meritis mihi cor-  
mundum, puritatis, statui meo congruentis, a-  
morem impetra, ut mente & corpore purus  
vivam, donec anima mea corpore evocata  
Sponso Virginum occurrat felicitis æternitatis  
annulo donanda. O Sanctissima DEI, & mea,  
Mater pretiosissima! ego N. indignissimus fi-  
lius tuus ex corde, omnibusque tam corporis,  
quàm animæ &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: **DEUM** hodie pro  
augendo in me in dies Deiparæ amore orabo.

Intolerabile esset mori, & quis esset, qui e-  
vaderet salvâ animâ? nisi & **JESUS** Patri vul-  
nera, & **MARIA** Filio ubera monstraret: & hinc  
lac Matris, inde sanguis Filii apud Patrem pro  
me, heu nimium prodigo Filio! misericordiam  
extorquerent. *S. Ansel. de excell. Virginis.*

Quæstio: An B. V. fuerit prima, quæ  
Deo virginitatem voverit? *v. Barrad. to. 1. in  
Evang. l. 7. c. 8.*



S. Genoveva Virgo noctem Sabbathi precibus ad Deiparam fufis vigil impendere folita, cereum, noctu templum Deiparæ accedenti prælucentem, dum vento extinctus efflet, solo tactu reaccendit. Puerum, qui Mariæ laudes dicere adjuvaret, à mortuis revocavit. *Faſti Mariam.* Solidus in Virgine amor folus non eſt.

Ora pro me S. V. Genoveva, ut cor meum, ſopitis debitæ in Mariam devotionis ignibus tepidum, novas flammæ concipiat, ut & vivens his utatur ignibus, & expiraturum eodem in rogo conſumatur. O Sanctiſſima Dei, & mea, Mater pretioſiſſima! ego N. indigniſſimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies milles, imò infinities te ſaluto: te omni poſſibili omnium poſſibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi uſque ad ultimum vitæ ſpiritum, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Aliquam, poſt Solis occaſum, Deiparæ iconè veneraturus accedam.

Tu, ô Genitrix vitæ, es unica ſpes peccatorum; per te expectamus veniam delictorum, in te noſtrorum eſt expectatio præmiorum. *S. Auguſt ſer. 8. de Aſſ.*

Quæſtio: An Deipara ſuperet ſanctitatem, & gratias omnium Angelorum & Sanctorum collectivè? *v. Paul. Segnori in Clie. Mar. capite ſecundo.*



B. Angela de Fulginio dum hortatrice Deiparâ dolorum Marianorum memoriam iteraret, eorundemque cultum spiritualibus suis, quas instruebat, filiabus instillaret, dulces ab eadem amplexus, próque mensura devotionis jam plura, jam pauciora oscula capiebat. *Bollandus.* Decrescit in patiente, dum cum compatiante dividitur, dolor.

O S. Angela, ecce animam meam tibi trado discipulam, tu eam Sanctis ritè amandi artibus instrue, ut terrena gaudia nauseet, sed per dolores aut dolorum memoriam ex hoc corpore soluta in osculum pacis & gaudiorum æternorum societatem admittatur. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: illius mihi hodie Mariani doloris memoriam renovabo, quem in unigeniti sui circumcisione sensit, in cuius compassionem aliquem mihi dolorem ipse causabo.

Nullus est, qui salvus fiat, & Sanctissima; nisi per te: nullus est qui liberetur à malis, nisi per te. *S. Germ. Ser. de Zona.*

Quæstio: Externis an internis virtutum, aut mortificationum actibus malit Deipara honorari?



S. Eduardus Angliæ Rex, Danis Angliam vastantibus, MARIAM elegit adjutricem. Et quidni ab illa mereatur exaudiri, qui nihil unquam in ejus nomine petitum se negaturum, ut sanctè proposuit, ita servavit, Virgo simul & Conjux. *Surius in vita.* Chari semper sunt Virgini, quibus chara virginitas est.

S. Rex! vides animam meam gravissimis tot hostium insidiis expositam? foris bella, intus pericula: quâ salvabitur? perit illa, nisi à salutis nostræ Matre adjuvetur. Te proinde per dilectissimæ tibi Matris MARIÆ amorem rogo, tuas meis ad eam precibus junge, ut periclitanti succurrat, roga. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Paciscar hodie cum Deipara, ut singuli venæ pulsus totidem mei in eam amoris sint indicia.

Data est tibi Domina omnis potestas in cœlo & in terra, ut quidquid volueris, valeas efficere. *S. Anton. Serm. de Conc. B. V.*

Quæstio: An Adamus & Eva sciverint MARIAM futuram DEI Matrem? *v. Segneri Cl. Mar. cap. 4.*

VI. JA.



S. Andream Corfinum Ep. parentibus Deipara donavit, cum illi steriles prius eundem voto, si nasceretur, Virgini donassent. Eidem primum ad aras hostiam litanti consolatrix, & dein supremæ horæ nuntia Virgo adfuit. *Su- rius*. Ita Superis curæ est, qui Superos curat.

O Magne maximæ Virginis amator Andrea! ora, ut quam mihi DEUS ignotam voluit mortis horam, eam Matris Agonizantium intercessione ita dispositus obeam, ut tecum DEUM & ejus Matrem æternum laudem. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum Regiæ Triadis exemplo DEUM in Eucharistia latentem invisam, ei ac Matri ejus munerum loco vel vora renovabo, vel memoriam, intellectum, & voluntatem meam consecrabo.

Sicut Magi de thesauris suis mysticas Domino (& Matri ejus) munerum species obtulerunt, ita & nos de cordibus nostris, quæ his digna sunt, promamus. *S. Leo ser. 2. de Epiph.*

Quæstio: Quo idiomate tres Reges cum Deipara sint locuti? *v. Corn à Lap. 10. 1. in Evangelia.*



S. Raymundus de Pennafort cum lacte Mariæ amorem hausit, hujus monitu Religionem pro redemptione captivorum, sub titulo B. V. à mercede, instituit. Eiusdem aspirante favore 160 milliaria, pallio navis instar usus, novus nauta superavit. *B. Zovius in Annal.* Nullus Mariæ cultus est absque mercede.

S. Raymunde aspice è portu felicitatis æternæ hanc animam in procelloso, totque naufragiis infami mari tibi supplicem, peccatorum eam vinculis libera, Marianos eidem favores impetra, ut hâc duce Stellâ maris ad libertatem filiorum Dei tuta perveniat. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: meritum actionum hodiernæ diei Deiparæ, ut liberè de illo disponat, donabo.

Omnibus debitricem se pia Virgo facit; omnibus misericordiæ sinum aperit; plenitudinem ejus accipiunt universi. *S. Bern. ser. 2. de Ass. B. V.*

Quæstio: An è tribus Magis singuli singula, an singuli terna Christo & Deiparæ munera obtulerint? *v. Aponte in Evang.*



S. Laurentius Justinianus, Venetiarum Patriarcha, & ab interitu vindex, Mariæ amantissimus, nihil habuit gratius, quam de ea loqui, cujus honorem ut latius propagaret, post 15 cœnobîa, & templa condita calamum ejusdem Virginis honori addixit, de cujus laudibus varia typo vulgavit. *Surius in vita.*  
Qui operari desinit, amans non est.

S. Patriarcha Laurenti! quem de statu vitæ deliberantem delapso cœlo Sapia, quid tibi agendum esset, edocuit; adjuva insipientiam meam & doce: quibus artibus Mariæ affectum mereri, quibus studiis benè moriendi scientiam addiscere possim. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tã corporis, quàm animæ viribus centies milies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarũ affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum tributarium volo MARIÆ calamum, & si aliud non novit eã dignum scribere, primum, quod hodie scribet, erit MARIÆ sanctissimum nomen.

Quæramus à DEO gratiam, sed per Mariam quæramus. *S. Bern. ser. de Nat. Vir.*

Quæstio: Quo tempore anni, & ætatis Christi, tres Magi ad Christum, & ejus Matrem venerint? *v. Barrad. to. I. in Evang.*



SS. Julianus & Basilissa conjugium inire coacti, emissa mutuâ voluntate virginitatis voto illud meruerunt, ut eorum nuptiis JESUS cum candidatis, MARIA cum Virginum choro adesse sint dignati, & Angeli de cœlo victoriam accinentes sponforum nomina libro vitæ inserta exhibuerint. *Barri in fœdere.* Hæcne tu sterilia credis conjugia?

O Casti Conjuges, vos puritatis mex, sine qua Immaculatæ Virgini placere non potero, custodes este: ac ut de pravis cupiditatibus victor nomen meum libro vitæ inscriptum, cœli candidatorum numero aggregandus videre merear, impetrate. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium &c. fol. 2.

Ad quod impetrandum: Ingruente forte tentatione cordi meo tacitè, scuti locò, *MARIÆ* nomen inscribam.

Hæc via misericordiæ, Mater gratiæ, pietatis amica, humani generis consolatrix optima. *Sixtus IV. Papa.*

Quæstio: An omnia trium Regum munera acceptaverit Deipara, an è singulis aliquid? v. *Aponte in cap. 1. Matthæi.* Item an alia Christo, alia Matri dederint?



B. Gondisalvus Ord. Præd. adhuc infans lachrymas visâ Deiparæ imagine siccabat. Hac consultrice Religionem eam ingredi iussus, cujus Alumni officium Divinum à salutatione Angelica inchoarent, paruit, & in hora mortis eandem ad cælum invitantem conspexit. *Hist. ord. c. 1.* Audienda est virgo, ut exaudiat.

B. Gondisalve, scis sapientiam hujus mundi stultitiam esse apud Deum, impetra mihi proinde, ut Deiparæ mihi salutaria intus loquenti, docile cor aperiatur, & secundum ejus dictamina ea solum curem, quæ bonæ mortis zelatores curare solent. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: nullum hodie negotium auspiciabor, nisi MARIAM prius dictâ salutatione, in consilium vel auxilium vocavero.

Per MARIAM Deus descendit in terram, & per ipsam homines ascendere merentur in cælum. *S. Aug. ser. 11.*

Quæstio: Quorsum Deipara aurum à Magis acceptum impenderit? *v. Maldona. in Evang.*



S. Theodosius Cœnobiarcha festis, maxime  
 B. V. solennibus, liberalissimus, ut ad hæc  
 celebrius agenda popellum pauperem invita-  
 ret, lautam iis mensam paravit. Non raro, re-  
 domi angustâ, 100. mensas his hospitibus in-  
 struxit, benedicente Domina: nam fame per  
 urbem grassante semper quod daret, suppete-  
 bat Theodosio, uno frumenti grano magnum  
 replevit granarium. *Joann. Bolland.* Qui dat  
 pauperi; Mariam facit debitricem.

O liberalis Sancte, en me nudum, & egenum,  
 & pauperem, DEI Marianæq; gratiæ summè  
 indigum: exerce in me liberalitatem tuam.  
 Mariani amoris famem accende in me, quæ  
 utinam nunquam satiatur, sed plus semper &  
 amplius totâ æternitate amet, laudet, glorifi-  
 cet Mariam. O Sanctissima DEI, & mea,  
 Mater pretiosissima! ego N. indignissimus fi-  
 lius tuus ex toto corde, omnibusque tam cor-  
 poris, quàm animæ viribus centies mil-  
 lies &c. *fol. 2.*

Ad quod impotrandum: Si pauperes pascere  
 non potero, potero in Deiparæ gustum uno,  
 alterove gratiori bolo me hodie fraudare.

A MARIA captivus accipit redemptionem,  
 æger curationem, tristis consolationem, pecca-  
 tor veniam. *S. Bern ser. 2. de Ass.*

Quæstio: An Deipara sponte, an ob rerum  
 penuriam coactè fuerit pauper?



S. Ælredus Abbas à prima infantia Dei, ac Dei-  
paræ favoribus, melliflui Bernardi colla-  
ctaneus cum MARIÆ lacte parem etiam sty-  
lum suxit, quem Dei Matris honoribus addi-  
cens, egregium de ejusdem Virginitate librum  
conscriptit. *Gibboni.* Sunt sui etiam virtuti in  
libris liberi, qui aliis è thoro natis multum  
præstant.

O lactee Magnæ Dei Matris fili, tua pro me  
apud eandem merita interpone, ut ubi lingua &  
fauces meæ præ mortis angustiis aruerint, eas  
illa suæ gratiæ rore refocillare dignetur. O  
Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima!  
ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde,  
omnibusq; tam corporis, quàm animæ viribus  
centies millies, imò infinities te saluto: te omni-  
possibili omnium possibilium & actualium  
creaturarum affectu amare, tibi usque ad ulti-  
mum vitæ spiritum, quantum possibile &c. f. 2.

Ad quod impetrandum mel in corde, lac in  
ore mihi MARIÆ dulcissimum nomen erit,  
centies & usque centies hodie Ave MARIA in-  
geminabo.

O felix MARIA, sicut omnis peccator à te  
aversus, & à te despectus, necesse est, ut intereat;  
ita omnis peccator ad te conversus, & à te re-  
spectus impossibile est, ut pereat. S. *Anselm. Or.*  
*ad B. V.*

Quæstio: An Christus possit aliquid Matri  
suæ negare? v. *Celada in Jud. fig. c. 8. §. 10.*



**B.** Ivetta vidua, ad DEI tribunal in extasi citata, veterisque delicti confessione necdum expiati rea, pœnam subivisset, nisi Deiparæ intercessione veniam impetrâisset. Impurum Juvenem Ivettae pudori vim intentantem è cubiculo visibilis Deipara abegit. *Bell.* Vis virgini esse charissimus, vel virgo esto, vel castus.

O Beata pœnitens ! quoties præteritorum delictorum conscientia mentem subit, heu quantum totis artibus contremisco ! ora pro me Matrem misericordiæ, ut pudoris mei custodem, & pro delictis meis apud Filium intercessorem agat, ut tecum audire merear: Dimissa sunt tibi peccata tua. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni &c f. 2.

Ad quod impetrandum ter hodie supplex per MARIAM à DEO verborum, cogitationum, & operum, malè actorum veniam implorabo.

MARIA pro salute Fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedula Oratrix, pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit. *Sixtus VI. P. in Constit.*

Quæstio: An Deipara plus amet semper innocentem, an à peccato ad innocentiam revertentem?



S. Theodemarius quantâ pietate suas in virginem devotiones perageret, etsi ipse celaret, cœlum ostendit, dum ei sacrum de Beatissima Virgine legenti duo Angeli ministrârunt; ejusdem caput aureâ & cœlestibus margaritis illustri coronâ visum est coronari. *Nad. an. Cœl.* Profani sumus, nisi sancta sanctè tractemus.

Quàm frigidæ sunt meæ, quashonori Deiparæ fundo preces, quàm parùm est in longa etiam oratione fervoris! tuo eum ô S. Theodemari devotionis igne succende, ut Mariani cultûs ardor in me nunquam intepescat, sed in me, aliisque continuo augmento crescat. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibûsque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum &c. f. 2.

Ad quod impetrandum hodie, si licet, ad dicatum MARIÆ honoribus altare sacris operabor vel adero.

Si tu nos deserueris, quid de nobis fiet, & spiritus & vita Christianorum? *S. Germ. ser. de zona.*

Quæstio: Si nullus hominum peccâisset, an MARIA DEI Mater fuisset; *v. Barrad. in Ev. tom. 1. c. 4.*



**S.** Bonitus Arvernorum Episcopus ad sacrum celebrandum à Deipara in Coelitum præsentia monitus, ab eadem Sacerdotalem candidi coloris amictum, quo ad sacra uteretur, dono accepit, quo putas gustu Divina peregerit? *Surius.* Vis esse **MARIÆ** albicans? moribus candidis efficies.

O S. purissimæ virginis candidate, mihi quoque à Deipara gratiæ stolam impetra, ut illibati ejus candoris cultor, & vitæ sine labe integerrimæ imitator mori malim, quam animæ puritatem maculâ ullâ contaminem, Talis, si moriar, inter coeli candidatos vestem nuptialem habens numerabor. O Sanctissima **DEI**, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Deiparam meæ puritatis custodem eligam, eique hodie specialius commendabo: imò os, oculos, aures, manus, cor & me totum ei donabo.

Sicut Deipara omnibus Sanctis est potior, ita omnibus Sanctis pro nobis est sollicitior. *S. Bonav. in spec. c. 5.*

Quæstio: Quis in vestitu color Deiparæ, dum viveret, gratissimus fuerit? *v. Barri in An. Mar. 8. Januarii.*



**B.** Gratia tertii Ord. S. Francisci de Paula inde singulares à Deipara favores merita ; quòd hujus virginitatis imitatrix eam DEO, ejusque Matri voti Religione sacraverit. Ad fuit illi sæpius , uti & decretorio mortis die, ubi stipata Cœlitum & Angelorum choro virgineam ejus animam ad JESU sponsi thalamum deduxit. *Ex hist. ord.* Non est tutior ad cœlum semita, quàm via lactea.

O B. Gratia! gratiosa Deiparæ filia, mihi apud tuam, meamque Matrem Mariam gratiâ plenam, id favoris impetra, ut Filii ejus gratiam ita dignè æstimem, ne ullo eam unquam peccato perdam, sed ejus meritis, & piâ intercessione cum gratia finali moriar. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Familiarem mihi illam, hodie præcipuè, precatiunculam faciam: Per Immaculatam Conceptionem, & intemeratam virginitatem tuam, ô purissima Virgo emunda † cor † corpus † & animam meam.

Unam, & te solam, ô Virgo pro nobis fate-mur esse in cœlo sollicitam. *S. Bonav. in Spec. c. 6.*

Quæstio : An Deipara adhuc in utero materno existens merita sit, gratiæ & meritorum augmentum? *v. Cl. MARIA c. 3.*



B. Petrus Minorita summâ in omnibus necessitatibus in Deip. confidentiâ usus, peste anno 1492. latè grassante eam sospitatricem expertus est; dum enim ejus imaginem in supplicatione pro lue avertenda circumtulit, sanis incolumitatem, veneno affatis pristinam sanitatem impertivit. *Marcus Ulyssip.* In tenui re, non tenui sæpe lucro, MARIA colitur.

O B. Petre tu apud Virginem Matrem efficacibus pro me precibus age, ut quæ nullius labis conscia immaculata triumphat, me quoque à peccatis, quæ corporali lue longè gravior animæ pestis sunt, clementer tueatur. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Priusquam hodie ad negotia cubiculo egrediar, flexis, si per alios fieri potest, coram Deip. icone genibus ejus benedictionem petam, ut me ab omni malo, maximè peccato præservet.

Nullus est ita alienus à DEO, nisi omnino fuerit maledictus, qui, si MARIAM invocaverit, non revertatur ad DEUM, ut misericordiam obtineat. *S. Brigitt. revel. l. 4. c. 53.*

Quæstio: An B. V. inter dormiendum fuerit subjecta somniis? *v. Vegam in Theol. Mar. pal. 7. cer. 8.*



**S.** Brigitta Sueca filium Carolum amori Mariano tam tenero assuefecerat, ut ille dicere fuerit solitus, malle se inferni pœnas subire, quàm Deiparam de gloria ex maternitate Christi periclitari. Rependit affectum virgo, dum à morientis lecto Dæmones abegit, & Matri post ejus mortem sollicitæ Filium Cælitum consortio frui revelavit. *Boll.* Malè mori non potest, quem vitæ Mater tuetur.

O S. Brigitta pro mea nunc etiam anima esto sollicita; mecum MARIAM obsecra, ut sicut à Filii tui morientis, ita & à meo in agone constituti lecto Dæmones abigere, ac contra ejusdem insultus clementer tueri, velit. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum hodie Deip. iconem prætergressurus, eam aperto capite, tacitoque suspirio venerabor.

Dæmones audito nomine MARIÆ statim relinquunt animas. *S. Brig. l. 1. revel. c. 9.*

Quæstio: Utrum Deipara MARIÆ nomen etiam in cœlo retineat? *v. Adri. Lyraum in cris. Mar. l. 3. tom. 8.*



S. Abundantia V. octennis coram B. Virginis  
 S. Filium sinu complexæ, imagine orans, cum  
 à Christo pomum, quod in manu pictum ha-  
 bebat, peteret, impetravit. Neve se minùs gra-  
 tam exhiberet, flores reddidit, quos Christus  
 acceptavit. *Ex Ferrar.* Nemo tam pauper est,  
 quin DEO, & Matri gratum munus offerre  
 possit.

S. Abundantia! subleva meam egestatem pro  
 me intercedendo, ut iis virtutum floribus a-  
 bundem, qui gratum DEO odorem faciant, &  
 in salutare fructus maturescant. Nascenti tibi,  
 & morienti suo motu applausere campanæ,  
 agonemque tuum accinentes Angeli fecere  
 pretiosum; ora, ut mors mea pariter Angelis,  
 non Dæmonibus, creet lætitiā. O Sanctis-  
 sima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N.  
 indignissimus filius tuus ex toto corde, omni-  
 búsque tam corporis, quàm animæ viribus  
 centies millies, imò infinities te saluto: te om-  
 ni possibili omnium possibilium &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum, à primo, qui se ho-  
 die fortè offeret, fructu abstinebo, eum Deipa-  
 ræ immolando.

Impossibile est aliquem salvari peccatorem,  
 nisi per tuum, Virgo! auxilium & favorem.

*Ign. M.*

Quæstio: An B. V. perpetuam sine cessatione  
 Filii memoriam vivens habuerit? *v. Barradin*

*Ev. tom. 1. c. 4.*

XX. JA.



B. Eustochium V. dum à Parentibus ad nuptias urgeretur, virginitatis amore faciem jejuniis & mortificationibus deformavit, ut vel sic sponso displiceret; cujus amoribus explicita, cœlestem quæsitura, Ordinem S. Claræ ingressa est. Præter quotidianam sui diverberationem cilicio è suilla spinis armatâ usa, in persecutionibus, quas innocens patiebatur, à Deipara visitari, & solatium accipere promeruit. *Ulyssip. 3. part. histor ser.* Ubi absunt terrestria, ibi præstò sunt cœlestia solatia.

O Virgo Beata! mihi apud afflictorum consolatricem opem implora, ut ubi mortis dolores, criminum commissorum reatus, & postremi Dæmonis assultus agonizantem me presserint, ab illa solatium liceat expectare. O sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum: Si quid verbi, vel operis adversi mihi hodie occurrerit, Deiparæ memoriâ me in patienti silentio confirmabo, ab illa solatium & levamen præstolaturus.

Quomodo nobis erit vita vitalis, si MARIAM non habemus, cum qua versemur. S. *Damasc. ser. de dor. V.*

Quæstio: Utrum B. V. nos in terra degentes corporeis è cœlo oculis aspiciat? *v. Vegam in Theol. Mar. pal. 35.*



S. Meinradus ad huc dum quinquennis, deserto Comitis titulo, monasterium adiit, ubi Deiparæ ope doctrinam affectus, eam cum Mariani cultus præceptis in alios transfudit. Virgini sacellum struxit, coram ejus icone orantem laceffivère verberones stygii, sed ab Angelis repulsi sunt, his ille sæpe collocutus diem obitus ab iisdem intellexit. *Rambeck.* Grande semper Mariophilos inter & stygem odium intercedit.

S. Meinrade pro me supplex Angelorum Reginam deprecare, ut eas mihi ingenii vires tribuat, quibus ejus amorē aliis instillem. Ei cor meum dedico in sacellum, utinam sacrum, tu ora, ut ab illa contra Dæmonis insultus protegatur. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili &c. f. 2.

Ad quod impetrandum oportunitatem quæram aliquid hodie ad Virginis sanctissimæ cultum promovendum loquendi.

Invocato nomine Matris, etsi merita invocantis non mereantur, ut exaudiatur, merita Matris intercedunt, ut à Filio exaudiatur. *S. Ansel. de excel. V. c. 6.*

Quæstio: An pulchritudo corporis Mariani pulchrior fuerit corpore glorioso? *v. Vega in Theol. Mar. n. 727.*



Sponsorum Marianorum ter beata hodie dies est, inter quos Princeps est charissimus Mariæ sponsus & Virgo Josephus, hodie Virginum castissimæ desponsatus; quem illi proximè æmulantur, qui amore Mariano ardentes, illibatæ ejus virginitatis imitatores esse conantur, nec ullam in affectibus sponsam, quàm Mariam, fovent. Unus sæculo quovis vivit phœnix, sed Josepho parem necdum sex sæcula pepererunt.

O intemerata Virgo ecce me, vel conspectu tuo, nedum dicam amore, indignissimum! sponsi tui nomen anhelare iniquitatis meæ conscius non præsumo, unum illud subjectissimâ, quâ possum, mente supplico: dignare me, amare te, O Virgo Sacrata. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Ne, quos Deus conjunxit, ego separem, in precibus, suspiriis, hodie, ac aliàs Mariæ Josephum sociabo.

Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Mariæ, quàm invocato nomine Domini JESU, unigeniti Filii sui. S. Ans. de excel. V. c. 6.

Quæstio: An desponsata tantùm, an verè matrimonio juncta Deip. fuerit S. Josepho? v. Contzen in c. 1. Matth.



S. Ildephonsus Episcopus Toletanus, eximius Deiparæ cultor, de ejus virginitate librum contra Mariomastiges conscripsit, à qua in templum descendente candidi coloris vestem donò accepit; in cujus facti memoriam festum ibi hodie Marianæ descensionis celebratur. *Surius*. Candor animi, character est Mariophili.

S. Ildephonse ora pro me, ut ita candidis nunc moribus vivam, ut MARIÆ affectum merear, eoque me dignum reddam beneficio, ut rupto hoc corporis integumento anima mea immortalitate beata vestiatur in cælo. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Quoties menti occurret, toties hodie tacitis affectibus ingeminabo: Amo, & amabo MARIAM, utinam hoc in amore vincam Seraphinos.

Fecit in te magna, qui potens est, & data est tibi omnis potestas in cælo, & in terra. *S. Petri Dam. serm. I. de Nativitate.*

Quæstio: An ullus intensius præ S. Josepho Deiparam unquam dilexerit? *v. Barri in alim. piet. S. Jos.*



S. Eustochium Virgo, Ord. Præd. triduo precibus inter lacrymas ubertim fufis JESU recens nati videndi desiderio æstuabat, cum in extasin rapta, Deiparam natum suum, qui in fœno jacebat, adorantem vidit, & illico jam Virginem, jam natum mille amoris basiis venerata, tantam animo dulcedinem hausit, ut nisi extasis transisset, brevî morituram se crediderit. *Ann. Ordi.* O brevis hora, quàm dulcis mora.

O S. Virgo Eustochium renova tuos in MARIAM & ejus Filium in cœlo affectus, sed & mihi in terris spem inter, metumque hærenti, cor tenerum, & sinceri amoris ignes impetra, ut vita me prius, quàm Marianus amor destituat. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima lego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities teluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, &c. f. 2.

Ad quod impetrandum, aliquam Deiparæ imaginem tot hodie piis osculis dissuaviabo, quot amor suggererit.

Teneamus MARIAM, nec dimittamus, donec benedixerit nobis, potens est enim. S. Bern. *serm. in Apoc. 12.*

Quæstio: An S. Joseph sorte in sponsum Deiparæ fit electus? v. Barrad. in *Evang. to. 1. c. 7.*



**B.** Henricus Suso in gallicinio Deiparæ latrunculus concinebat, cui Angeli frequenter confortabant. Fame, vigiliis ita corpus maceravit, ut cibi potusque capiendi impar allato à Maria cœlesti liquore recreari debuerit. Dæmonem sagittâ mortem intentantem solo Dominæ suæ, Dei Matris, nomine fugavit. *Ann. Ord. Præd.* Nulla contra dæmonem tutiora sunt arma Marianis.

**OB.** Henrice, qui æterna jam inter gaudia pace frueris, vides, quot quantique animæ meæ hostes eam perditum eant, tu mihi robur à Maria impetra, ut ejus protectione contra visibiles & invisibiles hostes protectus, victor cœleste capitolum subire promerear. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego **N.** indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies, millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum: Tot hodie terræ oscula figam, quot nomē Mariæ literas numerat.

Nulli dubium, quin totum ad gloriam laudis Christi pertineat, quidquid Genitrici suæ impensum fuerit, ac solenniter attributum. *S. Hier. ser. de Ass. B. V.*

Quæstio: Cur Deipara Virgo disponfata sit viro? *v. Barr. to. 1. in Evang. c. 7.*



S. Albericus Ord. Cist. cū in litaniis diceretur: S. MARIA ora pro nobis, totā facie solis instar radiare conspectus est. Eundem Deipara Angelorum agmine stipata invisens, Religiosā, eāque candidā veste donavit, iterūque morituro conspicua paratam ei, & suis in cœlo gloriam exhibuit. *Nad. an. Cœl.* Tali morte digna est talis vita.

S. Alberice meum in tua, meāque Matre colenda teporem excita, meas tuis conjunge precibus, ut MARIÆ placeant, & ejus intercessione mihi locum in cœlo præparari obtineant. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibūsq; tam corporis, quā animæ viribus centies, millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum: Præsumo, in quo multi præcesserunt, & Mariam in sponsam, dato etiam, si fieri queat, vel gestato annulo eligo, cui fides nunc data si mente exciderit, nomen libro vitæ eradi patiar.

Nihil tuæ, ô Virgo resistit potestati; nihil repugnat tuis viribus; omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ potestati serviunt. *Greg. Nicom. de Oblat. Deipara.*

Quæstio: Quā ætate Deipara fuerit S. Josepho desponsata? *v. Barrad. cit.*



S. Chrysoftomus Ep. Constantinop. adhuc puer à B. V. lactatus, in magnum Deiparæ amatorem, & ejusdem contra Arianos defensorem adolevit, visus est à S. Cyrillo in cœlesti gloria Deiparæ affidere, & ab eadem contra detractores defendi. *Surius*. Si hæc sit juxta te, cujusvis manus pugnet contra te.

O S Chrysoftome auream mihi in MARIE laudes indulge facundiam, ut nihil nisi magnifica de ea prædicem, sicque merear ab illa defendi: ut si me lactare voluerint peccatores, non aquiescam eis, & desipiat mihi omne id, quod DEI Matri displicet. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: In conclavi meo Deiparæ iconem collocabo loco, qui fieri potest, aptissimo; ut frequentior ex ejus aspectu mihi memoria oggeratur.

Sileat misericordiam tuam Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in suis necessitatibus sibi meminerit defuisse. S. *Bern serm. 4. de Assumpt.*

Quæstio: Fueritne senex S. Joseph, cum Deiparæ sponsus est datus? v. *Barrad. to. 1. in Evang. 6. 7.*



**B.** Margareta Regis Ung. filia quadriennis officium B. V. memoriâ tenebat. Nullam ejus imaginem in salutatam præteribat; octavam festorum Marianorum millies iteratis quotidie genuflexionibus, & vigiliam pane & aquâ contenta, obibat, Adfuit morienti Deipara, capitique coronam imposuit, ac ad cælum, per scalam præcedens, invitavit. *Bollandus.* Vis à MARIA amari? ama.

O B. Virguncula pudet hinc frigoris mei, pudet tot annorum tam tepidè in cultu Mariano transactorum, tuum mecum fervorem communica, ut in Deiparæ obsequio impiger nunquam deficiam; ita per eam, quæ peccatorum scala est, ad cælum penetraturum me confidâ. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum: Consulam hodie amorem meum, quoties demerendo tantæ Dominæ Patrocínio in genua provolvi velit.

Tu, ô Deipara, accedis ante illud aureum summæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans, non ancilla, sed Domina. *B. Pet. Dam. ser. de Nat. B. V.*

Quæstio: Cur ad S. Josephum, non ad MARIAM ducta sit in Evangelio Christi generatio? *v. Contzen. in c. 1. Matth.*



S. Petrus Nolascus Deiparam cœnobii sui cubicula visentem, & Religiosos dormientes protegentem conspexit: Aliàs de angustiis rei domesticæ anxius ab eadem sibi dictum audivit: Fili mi! ne dubita, in paupertate non te deseram; studeas, & servias Filio meo, & mihi. Ad concionem dicturo, cùm raucus esset, eadem vocem restituit. *Nadasi an Cœlest.* Nemini Virgo deest, nisi qui sibi defuerit.

8. Nolasce, me quoque clientum tuorum numero inferre, ut à Maria visitari & protegi merear. Ora pro me, ut ita die, ita nocte me geram, ut nihil agam, quod ejus oculos posset offendere, nihil omittam, quod illi placere novero. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Non procul à lecto meo vel imago, vel aliud Virginis, me noctu contra hostes defensuræ, memoriale pendebit.

Tantummodo velis ô Maria! & nequaquam salvi esse non poterimus. *Greg. M. l. 2. dial. c. 3.*

Quæstio: An Deipara etiam noctu merita sit, & dormiens gratias auxerit? *v. Segneri Cl. Mar. c. 3.*



IN B. Rithæ Ord. S. Augustini, adhuc parvulæ, ore mel apes posuerunt, prognosticum pietatis, quâ Jesus Crucifixus, & Mater dolorosa semper in ejus ut corde, ita & ore versabantur. Horum iconibus ita cubicelli sui parietes investivit; ut ne digiti spatium his vacuû superesset. Carnis tentationes jam candelæ flammis digitos, jam nivibus corpus involvendo vincebat. *Annal. Ord.* Dura, si ulla, sunt prælia castitatis.

O B. Ritha in tuam me suscipe clientelam; loqui me, & orare doce, doce dolorosæ Matri compati, doce demum, carnis & inferni suggestionibus fortiter obviare, ut purus purissimæ Matri placeam, néve dolores sceleribus meis crudelis in Matrem filius augeam. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum: In dolorosæ Matris, & Filii ejus crucifixi memoriâ pro constanti à peccato præservatione vel frigus hodie, vel aliam corporis molestiam feram.

Qui dixit: Honora Patrem, & Matrem; ut decretum à se promulgatum observaret, atque adeò in hac parte alios excederet, omnem Matri suæ gratiam, & honorem impendit. *S. Method. in Hypop.*

Quæstio: An Christus Matri dolorosæ, an hæc Filio patienti plus compassa fuerit?



S. Theophilus Dæmoni se mancipans DEUM ejuraverat, periturus, nisi salutis anchoram in MARIA reperisset. Filio offenso Matrem instantibus 40. dies & noctes precibus pro venia fatigavit; nec irritò, Chirographum quippe, quo se inferno devoverat, à B. V. recepit facti veniam consecutus. *Nadasi.* Quos in tutelam Virgo recipit, non perdit ex eis quemquam.

O S. Theophile quoties infamis ego peccator sceleribus meis, DEO, ejusque Matre neglectâ, ad Creaturas, ad Dæmonem me converti. Ora pro me MARIAM, unicam meam post DEUM fiduciam, ut me Filio suo reconciliet, ut non priùs vitâ decedam, quàm Chirographum peccatorum meorum deleatur. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Quoties hodie nomen, toties mancipium me MARIÆ scribam M. G. M. quod sanguine multi signârunt.

Scio Domina, quia benignissima es, & amas nos amore invincibili, quos in te, & per te Filius tuus, & DEUS summâ dilectione dilexit. *B. Petr. Dam. ser. 1. de Nat. Virg.*

Quæstio: An amare Deipara possit, quem DEUS odit? *v. Bona. in des. Mar.*



**S** Ignatius Episcopus & Martyr insignis ævo suo Deiparæ amator, cui adhuc viventi literas scripsit, & reciprocas ab eadem accepit; hanc in rebus dubiis volebat esse consultricem. *Metaphrastes*. Ter Beatus hac Magistrâ discipulus.

Te ò Virgo prudentissima & sedes sapientiæ! cum Ignatio dubiorum, studiorumque meorum Præsidem statuo: tibi per materna pietatis viscera, & per æternam sapientiam, quæ ex te carnem sumere voluit, humillimè supplico, ut Spiritûs sancti lumen tuâ intercessione obtineam, & scientiam Sanctorum consequar. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibiliû & actualiû creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile &c. f. 2.

Ad quod impetrandum. Supplicem hodie ad Mariam Epistolam destinabo, in qua, quas die crastino ab ea gratias petiturus sũ, complectar.

Qui dignè laudare nequimus B. Virginem, veneremur & amemus, quantum possumus.  
*S. Ildelph. ser. 1. de ass.*

Quæstio: An Angeli in sua creatione agnoverint & reveriti sint Deiparam Virginem?  
*Suar. sec. 6. in P. 1.*



**B.** Lucia Vidua Nobilis, à Virginis cultu nobilior, in partûs doloribus ab omnibus deserta, Deiparam habuit ad obsequia, quæ suis infantem ulnis excepit, utque salutaribus undis ablueretur, operam dedit. *Alanus de Rupe.* Non succumbit, in Maria qui recumbit.

O clementissima & dulcissima Virgo Maria ! per Virgineum Partum & humillimam Purificationem tuam te rogo, ut ubi supremi dolores & caligo mortis ingruerit, à veræ fidei lumine non deflectam, sed cum Simeone in JESU & MARIÆ invocatione & præsentia dimittar in pace. O sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima ! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies milles, imò infinities te saluto : te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum, aliquam hodie pro facultatis mensura cordi meo candelam substituam, quæ Deiparæ honori ardeat.

Mariam ô fidelis anima imitare ; ut spiritualiter purificeris, & à delictorum valeas emundari contagiis, in templum cordis tui ingredi. *S. Laurentius Justin. de Purif. Virg.*

Quæstio : Cur Deipara pro Christo agnum non obtulerit ? *v. Sylveir. fol. 1. q. 15. c. 5.*



**S.** Ansharius Episcopus, Matre defunctâ, Deiparam in Matrem accepit, quæ illi Matrem in cœlum receptam esse exhibuit, simulque ut protervè ludentium puerorum lusus vitaret, admonitus, ita Deiparam loquentem audivit: Fili, vis ad Matrem tuam venire? si nostræ voluntatis particeps esse velis, omnem vanitatem fugere ac pueriles jocos dimittere debes. *Nad. an. Cœl.* Non omnes joci, semper sunt joci.

Ora pro me S. Anshari, ut per mundi hujus vanitates ita transeam, ut iram sanctissimæ Virginis non provocem: illa mihi sola præ omnibus placeat lætitia, quam parit bona conscientia, quâ præditus, semper hilaris, vel mortem imperturbato vultu excipiam. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde; omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: ut opera mea omnia æternitatem sapiant, ea Deiparæ manibus, Deo sacrare consuescam.

Licet advocatum habeamus Filium, opus etiam fuit, habere Matrem advocatam apud Filium. *S. Tho. à Vill. c. 3. de ann.*

Quæstio: Quis honorificentior Deiparæ titulus: Matris Dei, an ancillæ domini?



B. Joanna, ut plures Mariano cultui aggregaret, ordinem sub tutela & titulo **MARIÆ** Annunciatæ instituit, quæ quotidie rosariolum (quod ipsa à Christo didicit) 10. Ave, in cultum 10. Marianarum virtutum. 1. Castitatis, 2. Religionis, 3. Prudentiæ, 4. Humilitatis, 5. Fidei, 6. Gratiitudinis, 7. Obedientiæ, 8. Paupertatis, 9. Timoris DEI, 10. Patientiæ, recitaret. *Gasaus in Chr. Ord.* Præstat merita & virtutes, quàm annos computare.

O B. Joanna, quæ à Christo & Deipara ad epulas invitata apposita ab illis duo corda vidiſti, jussa illis tuum pariter sociare; ora pro me, ut cor meum ab omni sordium colluvie ita mundum præservem, ut ubi illud supremum vivere cæperit, **MARIÆ** offerre cum fiducia possim. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum dictum de 10. Marianis virtutibus Rosariolum hodie recitabo.

Nihil nos Christus habere voluit, quod per **MARIÆ** manus non transiret. *S. Ger. bom. de Zona.*

Quæstio: An Deipara habuerit in Christum Patriam potestatem? *vide Vega Theol. Mari. pal. 26. n. 1602.*



SSS. Joannes de Gotho, Paulus Michi, Jacobus Chisai, è Societate JESU Martyres, in Reginæ Martyrum Mariæ Nominis pronuntiatione vitam clausurunt. Joannes rosarium, sine quo vivere noluit, ut Mariæ cultus ad plures perveniret, moriturus alteri munus dedit. *Ann. Mar. Soc. JESU.* Rosario cœlum emi posse novum non est.

O SSS. Martyres orate pro me, ut si non sanguinis effusione, saltem accuratâ præceptorum observantiâ Martyr fiam, & ut ultima morientis vox sit Jesus & Maria, per quam anima mea in ultima hora egressionis è corpore hoc mortali, ab omni potestate & invasione Dæmonum clementer protegatur. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corpore, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Ad Deiparæ laudes mecum celebrandas omnes creaturas invocabo, applicato ad hoc Psalmo: *Benedicite &c.*

Nulla creatura aliquam à DEO obtinuit gratiam; nisi secundum Matris ipsius dispensationem *S. Bernardinus ser 61.*

Quæstio: An B. Virgo obligata fuerit lege Purificationis? *v. Sylveir. in Ev. c. 5.*



S. Brinulphus Episcopus promovendi Mariani honoris, dum viveret, studiosissimus, post mortem suavissimum è lectulo odorem fundebat, ad Sancti hujus venerationem promovendam ab ipsa Deipara his monita fuit S. Brigitta. Hic Episcopus, dum viveret, insigniter me honoravit, & honorem obsequiis firmavit. *Nadasi an. Cœlest.* Glorificantes se non finit inglorios Mater æternæ gloriæ.

S. Brinulphe ora pro me, ut ita omnes corporis & animæ vires cultui Mariano, quaqualicet promovendo, impendam, ut pro inexhaustæ pietatis ejus amplitudine animæ meæ curam illa suscipiat, ut æternis erepta incendiis in paradysum ab Angelis sanctis deducatur. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum; si plures nequeo, unum aliquem hodie operâ meâ inducere conabor, ut obsequium aliquod Deiparæ exhibeat.

Tu prudentissima Virgo, gratia plena, gestasti vas redundans & indeficiens, ex quo effuso oleo misericordiæ, orantium lampades illuminares. *S. Alb. M. l. i. c. 4.*

Quæstio: Quid S. Simeon intellexerit, cum in Deiparæ Purificatione dixit: quòd ejus animam gladius pertransibit? *v. Orig. hom. 7.*



§. Theodorus Miles à Deipara jussus est in subsidium Joannis Zirniscæ Constantinopolitani Imperatoris periclitantis ire, ivit hic, & gloriosam ille de hostibus victoriam retulit, è cuius spoliis Augustum Viètrici MARIÆ triumphum apparavit, & in perpetuum Victoriæ trophæum ejusdem nomini templum condidit. *Boll.* Prius erogat beneficia Virgo, quàm rogetur.

O sanctissima Virgo auxiliatrix grande mihi, summèque periculosum certamen restat, esto mihi in extremis auxiliatrix, succurre mihi in hora resolutionis meæ; ne Princeps tenebrarū me obruat, ne potestas inferorum adversum me prævaleat, adjuva me, ut victor æternas tibi, filiòque tuo laudes accinam. O sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Per horas singulas cultores Marianos invocandos distribuam.

Cùm peccatis nostris non solum Deus offenditur, cuius præceptum violamus, sed & filius Dei, cuius sanguinem conculcamus, ideo sicut apud Patrem interpellat Filius, sic apud Filium interpellat Mater. *S. Thom. à Vill. c. i. de An.*

Quæstio: An Christus Deiparam, an hæc filium suum plus dilexerit?



**B.** Isaias Bonerus ut conceptum Deiparæ amore novis flammis instauraret, ejus sinu Filium tenentis imaginem, quam præ oculis semper haberet, eo situ pingi curavit, ut sagittam igneam ex arcu parvulus jacularetur, coram hac icone dum oraret Isaias, concinere auditi sunt Angeli; *Ave Regina Angelorum*, quâ is dulcedine perfusus in sublime rapiebatur, ægro adfuit Deipara, & clientem ad cœlum invitavit. *Nadasi.* Ille securus cœlum post mortem exspectat, qui nunc vivit in cœlestibus.

O B. Isaias vides quàm cor meum in JESU & MARIÆ amore frigidum rigeat, ora pro me ut divina Mariani amoris sagitta ita cor meum feriat, ut omnem ad vanitates affectum, eaque omnia, quæ JESUM & MARIAM corde meo pellere, aut me à rerum æternarum desiderio avocare possent, penitus exurat. O Sanctissima &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Angelos Isaiæ auditos æmulaturus Marianum illum hymnum: *Ave Regina Cœlorum*, si non novies, cum totidem Angelorum choris, minimum semel hodie recitabo.

Maria pro nobis effecta est Paradysi scala, cœli janua, inventrix mundi, Dei ac hominum verissima Mediatrix. *B. Laur. Justin. ser. de Ann.*

Quæstio: An Christus aliquando Matris honorem suo prætulit? *v. Barri. An. Mar. p. 2. c. 22.*



S. Raynaldus Episcopus, qui leprosum osculo sanavit, super cujus sacris operantis verticem Spiritus Sanctus in specie ignis apparuit, cum veste sua nudum contexisset, aureâ ab Angelis veste ornari visus est. Orationi singulariter addictus meruit in cubiculo à Deiparente visitari, cum qua sæpius colloqui auditus est. *Nadasi.* Felix cum Matre Verbi colloquium! non habet amaritudinem conversatio illius.

S. Raynalde ora pro me, ut omnes à terrenis cogitationes ad cœlum, ad MARIAM transferam, ut sine mentis ad alia divagatione totâ mente & integro corde cum illa per preces colloquar, sicque ejus Beatissimo consortio æternum frui promerear. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: frequentibus jaculatoriis precibus, iisque ardentissimis Deiparæ sæpius hodie colloqui conabor.

DEI Filius pro peccatoribus ostendit Patri latus & vulnera; Mater ostendit Filio pectus & ubera. *S. Bern.*

Quæstio: An ex MARIÆ Puritate immaculata secuta sit corporis Christi in sepulchro incorrupcio? *v. Celada in Judith. fig. 5. 17.*



S. Guilielmus è Duce Aquitanix, scelerũ pœnitentiã, Eremita factus, gravissimè à Dæmonibus cæsus occubisset, nisi certum peccatorum asylum Deiparam, in qua spes omnes habebat collocatas, invocasset, hæc illum contractis membris jacentem invitit, cælestique liquore corpus unctum pristino vigori restituit. *Ex vita.* Tã bonæ Matris filius perire nõ potest.

Ora pro me S. Eremita, ut anteactæ vitæ scelera seriã pœnitentia expiem, ne adversarius meus Diabolus, qui circuit tanquam Leo rugiens, ut me devoret, ullum animæ meæ damnum inferat; & ut per piissimam Dei Genetricis intercessionem omnia animæ meæ vulnera vel fragilitate, vel iniquitate contracta salutari pœnitentiæ sacramento perferantur. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum, Eam in Matrem hodie eligam, & me in filium consuetã sodalibus formulã: Sancta Maria Mater Dei, ego N. N. te hodie in matrem &c. dedicabo.

Maria Mater est fidelium hoc titulo, quod cooperata est filio charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur. *S. Aug. l. de Virg. c. 6.*

Quæstio: Quomodo juxta S. Anselmum velocior nonnuquam salus invocato Namine Mariæ, *rad. to. in Evang. c. 13.*



S. Austreberta è Comitum in Gallia sanguine ad nuptias vocata fugit, néve fugitivam, qui insequabantur, retraherent, invocatâ Dei Matris ope flumen sicco pede trajecit, in cujus beneficii memoriam perpetuam Deo in Matris ejus honorem Virginitatem vovit. *Mayr.* Sic fugisse, vicisse est.

O S. Virgo dirige pedes meos, ut per mundi hujus pelagus, tot naufragiis infame, tot monstris refertum illæ sâ conscientia transeam, & ad æternæ felicitatis portum ejus patrocinio, quæ stella maris est, feliciter perveniam. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus! ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Quoties hodie sanctum Mariæ Nomen audiero, toties illud capite detecto reverebor.

Nec facultas Mariæ deest, nec voluntas; nisi fortè aut creditur Dei filius non honorare Matrem; aut dubitare quis possit, omnino in affectum charitatis transiisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est, charitas novem mensibus requievit. *S. Ber. serm. 1. de Ass.*

Quæstio: An Deipara Maternitatem DEI sit merita? *v. S. Mar. 3. P. l. Id. 10.*



S. Constantius Comes auditis ex Evangelio  
 verbis : si vis perfectus esse, vade, vende  
 omnia quæ habes, da pauperibus, & veni se-  
 quere me, motus è militia Regis ad Domini  
 castra pro cœlo expugnando transit, pro sta-  
 tione templum Deiparæ honori conditurus.  
 locum à columba didicit. *Nad. an. Cœl.* Nul-  
 libi melius locantur opes, quàm dum honori  
 Mariano elocantur.

Deserenda mihi esse omnia probè scio, ora  
 pro me S. Constanti, ut ita priùs affectu terrena  
 cuncta deseram, ne ullam mihi in agone mo-  
 lestiam facessant, sed curis temporalibus liber-  
 de iis solùm, quæ thesaurum in cœlo nun-  
 quam deficientem augere possunt, sollicitus a-  
 gam. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pre-  
 tiosissima lego N. indignissimus filius tuus ex  
 toto corde, omnibùsque tam corporis, quàm  
 animæ viribus centies millies, imò infinities  
 te saluto: te omni possibili &c. *f.2.*

Ad quod impetrandum: Alicujus rei possessio-  
 ne me hodie in Deiparæ honorem abdicabo,  
 si verò corporalis in pauperes misericordie  
 opus exercere vires meas excedat, spirituali  
 eleemosynæ actum facere conabor.

Quidquid ego velim, ait Deipara, nequaquam  
 fieri non poterit. *S. Anselmus.*

Quæstio: Utrum major in Deipara potestas  
 an voluntas hominibus bene faciendi?



S. Jordanus Ordinis Prædicatorum, nullum sine Deiparæ auspicio opus aggressus, iter ejusdem laudibus concinendis fallebat, inq̄ Mariani nominis honorem quinque Psalmos, juxta quinas MARIÆ nominis litteras inchoantes, iterabat; ad eum sceleratos plures persanandos misit Deipara. Precibus intentus vidit sibi à Deipara, apprehensâ filii dextrâ, benedici. *Lean. Alber. in vita. Vis à Virgine benedici, non cessa de illa benedicere.*

Nullum pluribus infestum est latronibus iter, quàm æternitatis, mille hujus ad eundæ pericula longè gravissima. Ora pro me S. Jordane, sana peccatricem animam meam, ut munda data eam, quæ scala peccatorum est, viæ ducem habere mereatur, sub cujus protectione ita per hæc temporalia transeat, ut æternæ Beatitudinis bravium non amittat. O Sanctissima & c. f. 2.

Ad quod impetrandum in Mariani nominis honorem 5. Psalmos recitabo, quorum initiales litteræ Nomen MARIA conficiunt: ut sunt: Magnificat. Ad te levavi oculos. Re-tribue servo tuo. In convertendo. Ad te & c.

Dominus potentissimus potentissimè tecum est; & ideo tu es potentissima secum: potentissima es per ipsum, potentissima es apud ipsum. S. Bonavent. in spec. c. 8.

Quæstio: An visio B. Virginis in cœlo possit Beatum efficere? v. Salazar tr. post. in cant. c. 1. v. 3. in app.

C

XIV. FE-



S. Auxentius Abbas noctes Sabbathinas, eò quòd Dei parenti sacræ sint, precando exigebat. In Calcedonensi Concilio disertissimus Mariam Virginem simul & Matrem esse verbis acerrimis, imò & editis in ejus testimonium prodigiis defendit, omnium se declarans inimicum, qui contrarium sentissent. *Ex Metaphr.* Dignum est, ut filius Matrem tueatur.

O S. Auxenti ora, ut quod alias spondidit me non permissurum, ut à meis subditis contra Virginis Matris honorem aliquid agatur, ita nunc corporis sensus, & animæ potentias rationi subdam, ut nihil agant aut appetant, nisi quod ad Dei & ejus sanctissimæ Matris honorem dirigatur. O sanctissima DEI, & mea Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibúsq; tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum die, hujus hebdomadæ, Sabbathino Deiparam jejunio venerabor.

Hæc est Virgo virginum ex qua mundo apparuit lux vera, sanitas æterna, redemptio copiosa. *Petr. Cell. ser. 1. de Ass. V.*

Quæstio: An Maternitas Dei spectet ad ordinem rerum supernaturalium? *v. Vega Theol. Mar. n. 1603.*



B. Lanfranchini Ordinis Prædicatorum gloriosa hodie agitur memoria, pro cuius defuncti anima dum B. Robaldus ad aras missam faceret, Deiparam, animam Lanfranchini sinu foventem, tertiâ vice conspexit. *Mayr.* Cui venti Maria cordi est, eum Virgo mortuum sinu fovet.

O B. Lanfranchine quanta felicitas in sinu Deiparæ quiescere ! hoc me favore scio indignissimum, plurima me ab hac spe deterrent scelera ! ora tamen apud tibi & mihi pretiosissimam & longè charissimam matrem, ut infirmorum mancipiorum sorte me frui, & scabellum pedum suorum agere clementer indulgeat. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima ! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: &c. f. z.

Ad quod impetrandum: Aut pictos in imagine, aut in statua efformatos Deiparæ pedes supplex, proque affectus mensura frequenter, osculabor.

Maria Adjutrix nostræ redemptionis, Auxiliatrix nostræ justificationis, Deus omnes gratias faciendas Mariæ commisit, quas ipsa fideliter distribuit, *S. Bernardin. in mem.*

Quæstio: An inter me & Deiparam intercedere possit amicitia? *v. Barri. an. Mar. p. 2. c. 54.*



S. Julianæ Puritatis Marianæ recordatio Virginitatis amorem ita persuasit, ut vitam sibi prius, quàm integritatem tolli passa, cervicem Tyranno objecerit, ne manus daret, mortua in gaudio, ne Virginitatem emortuam lugeret. *Ex Metaphr.* Nō dicenda est vita, ubi vivunt vitia.

S. Juliana Virgo fortissima, quæ Dæmonem sub tutelaræ Angeli specie te ad seponendum virginitatis amorem adhortantem ligasti, & verberibus castigasti, in locum sordibus plenum demersisti: ora pro me, ut nec dolis ejus circumveniri, nec terroribus frangi me patiar, sed mori gloriosè malim, quàm ignavè succumbere. O Sanctissima DEI, & mea, Mater preciosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis quàm animæ viribus cætius millies, imò infinities &c. f.

Ad quod impetrandum: Pro tentationum hodie remedio anulum Jesu, Mariæ Nominis inscriptum vel digito, vel occultè apud me, vel in annuli defectu eadem Nominis chartæ inscripta, gestabo.

Mater Dei habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus; ex hac parte non potest aliquid fieri melius eâ. *S. Tho. 1. p. 9. 25. ar. 6. ad 4.*

Quæstio: Utrum purarum creaturarum ulla possit majorem gloriam consequi, quàm quâ B. V. fruitur? *v. Di. Charus, l. 1. de lau. Vir.*



**B.** Alexius Ordinis Servitarum B. V. Dominae hujus obsequio 70. annos addixit, cuius amorem 100. quotidie salutationibus Angelicis testabatur. Sabbatho ad requiem & mercedem servus bonus & fidelis evocatus, à Christo ingentis pretii coronam capiti suo imponi, & Angelos candidarum avicularum specie circum volitantes conspexit. *Ex hist. Ord.* Si hæc dat in terris, quæ non parabit virgo præmia Clientibus in cælo.

Ora pro me magne maximæ Virginis serve B. Alexi, ut ex toto corde, tota anima & omnibus viribus meis Mariæ serviam, ut contra Diabolicos insultus Angelorum tutelâ defendar, sicque superatis inferni suggestionibus ad laudandam æternum Angelorum Reginam à vita discedam. O sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima lego N. indignissimus &c. f. 2.

Ad quod impetrandum Alexium agam hodie, ac nullam meæ, cælique Reginæ iconem sine exhibitâ reverentiæ significatione præteribo.

Hæc Domina est, per quam franguntur vincula, solvuntur debita, vincuntur vitia, roborantur infirma, incepta promoventur. *S. Anselm. sup. Salv. Reg.*

Quæstio: An Deipara sciat singulas singulorum hominum necessitates? v. *Bona in defens. B. V.*



S. Silvanus à Deipara plurimis revelationibus & beneficiis honoratus inter sacra Myſteria totâ facie illuſtriſſimus refulſit, ægrum Maria ſanitati reſtituit, dicens : redi in te fili mi Silvane, & novis operibus meritoriis gratum te pro favore, quem nunc accipis, exhibeto. *Nad. an Cæl.* Sine operibus cadaver ut amor eſt, ita & gratitudo.

Seriùs aut citiùs circumdabunt me angores mortis, & omnes artus meos ægritudo infirmabit; ſuccurre tunc mihi precibus tuis S. Sylvane, & id à Maria robur impetra, ut ægro corpore anima vegeta & jacentibus viribus firmus ſtet animus, donec is æternas pro Marianis beneficiis laudes canere incipiat. O Sanctiſſima DEI, & mea, Mater pretioſiſſima ! ego indigniſſimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te ſaluto : te omni poſſibili omnium poſſibilium &c. f. .

Ad quod impetrandum : ſingularium per vitam beneficiorum à Deipara acceptorum memoriam ſpecialiùs hodie reſcolam, eadem ordine adnotabo, ut me ad debitam gratitudinem excitent.

Multa petuntur à Maria, & obtinentur, non quia potentior, ſed quia Deus eam decrevit ſibi honorare ? *Niceph. de lau. Virg.*

Quæſtio : An B. V. habuerit donum linguarum ?



S. Bonifacius ope Deiparæ ad magnam vitæ perfectionem evasit, ab ea paludamento aureo & coronâ donatus, etiam Jesulum ipsa Christi nascentis nocte in lecto æger accepit. Eidem peccata Juventutis desienti porrecta è celo scheda remissa esse peccata nunciavit. *Nad. an Cœl.* Ibi solùm est discrimen, ubi delictum necdum est crimen.

S. Bonifaci iniquitates meæ heu nimium multæ ac magnæ pugnarunt contra me, quorum memoria quoties mentem subit, toties timor & tremor me concutiunt: obsecra pro me, ut magnæ Matris intercessione, remissa mihi esse juventutis & omnia vitæ meæ peccata merear intelligere. O Sanctissima DEI, & mea, Materpretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quàm animæ &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Judicis Matrem adibo, & contritionem, quam sæpius hodie de peccatis meis elicere conabor per eam in peccatorum remissionem præsentari rogabo.

Ideo tu Mater præelecta es ab æterno, ut quem Deus per suam non potest salvare meretricissimam Justitiam: tu, ô Virgo! per tuam salvares pietatem, & misericordiam. *Chrysost. hom. de prærog. B. V.*

Quæstio: num audiendi, qui dicunt Deiparam S. Joanni confestim? *v. Vasquez. to. 2. in 3. p. disp. 119. c. 7.*



S. Eleutherius Tornacensis Episcopus Mariani honoris zelantissimus contra Hæreticos Mariæ hostes concilium coëgit, eos urbe proscriptis, à quibus post varias persecutiones eâ, quæ Mariani honoris zelotem decet, constantiâ toleratas in templi Mariani ingressu gravissimè in capite vulneratus, amoris suæ Matris amantissimæ vitam immolavit. *Balingkem.* Ubi tu guttam sudoris, ne dicam sanguinis, dedisti pro Maria.

S. Eleutheri corporis & ingenii mihi vires impetra, quæis honorem Deiparæ propagare, aut si occasio ferat, etiam defendere possim; certus tantò majus me in agone solatium reperiturum, quantò solertiùs ejus honori promovendo vivens insudavero. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego Nindignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, &c. f. 2.

Ad quod impetrandum stipem pauperi, aut munus aliquod Proximo donabo, eâ lege, ut certi aliquid in Deiparæ honorem oret.

Omnia dona virtutes & gratiæ ipsius spiritus Sancti; quibus vult, quando vult, & quantum vult per manus Virginis administrantur. *S. Bernardin. to. 1. ser. 1.*

Quæstio: An suo, an Matris suæ honore plus Christus delectetur?



S. Gondebertus Episcopus, ut sumptus Ecclesiasticos à DEO, à quo acceperat, redderet, eos condendo templo impendit, quod divino monito in Augustissimæ Cœlorum Reginae honorem dedicavit, utque illud celebrius redderet, Religiosorum ibi congregationem collegit Marianas laudes perpetuò cantaturam. *Nad. an. Cœl.* Non desunt piorum exempla, modo tu his non desis.

Ora pro me S. Gondeberte, ut cum facultates condendo MARIÆ templo pares mihi desint, quod sanè omnibus, quæ orbis vidit, celebrius optarem erigere, eam vitæ puritatem colam, ut cor meum non peccatorum solùm monstris & sordibus, sed & defectuum ac Imperfectionum pulvisculis purum, dignum SS. Eucharistiæ templum, & Deiparæ efficiatur, in quo perpetuo affectu colatur, ametur JESUS & MARIA. O Sanctissima &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum hodie SS. Eucharistiæ quoties commodè licebit invisam, eamque ut sanctissimas Deiparæ reliquias geminato in Christi & Matrem affectu venerabor.

A quo tempore V.M. concepit in utero, Verbum DEI quandam ut sic dicam jurisdictionem seu auctoritatem obtinuit, ita quod nulla creatura aliquam à DEO obtineat gratiam vel virtutem, nisi secundum ipsius piæ matris dispensationem. *S. Bernard. to. 1. ter. 1.*

Quæstio: Cur Evangelistæ nihil de laudibus B. V. scripserint. *v. Andr. cre. or. 1. de dormit. Decp.*



**B.** Petrus Damianus multa de laudibus B. Virginis scriptit, pluribus Monasteriis piam consuetudinem officium Deiparæ quotidie recitandi persuasit, ad extrema deductus, ut securius vitam finiret, in Monasterio Deiparæ dicato Cardinalis mori voluit. Non impari Fratrem suum Marinum pietate accendit, hic se fune collo appenso Mariæ mancipium obtulit, & pecuniam annis singulis tributi loco ad Virginis Dominæ suæ altare disposuit. *Surius.* Servire Mariæ regnare est.

Orate pro me SS. Petre & Marine par nobile fratrum, ut me quoque in mancipiorum suorum numerum cooptare dignetur Mater illa clementiæ, quæ nullum despicit, sed accurrentes ad se materno fovet patrocinio. O sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! &c. f. 2.

Ad quod impetrandum pro jurati in cœli dominam servitii tributo aliquid hodie Mariæ offeram, si plus non suppetat, duo certè minuta non deerunt, corpus & anima, quæ ipsa cum Evangelica paupere deponam in gazophylacium cordis Mariani.

Quando Filium Dei in utero concepit & postmodum peperit, dimidiam partem Regni Dei impetravit, ut ipsa sit Regina. *S. Thom. in Præf. ad Ep. canon.*

Quæstio: Ubi Deipara majus exerceat imperium, in cœlo, an in terra?



B. Nicolaus Christum coram spectans sibi dicentem audiit; Nicolae sequere me, secutus est, utque consequeretur, Deiparæ opem repetitis aliquando undecies mille salutationibus Angelicis implorabat, nec irritò, hæc enim ei defensores submitit Angelos, dum à Dæmone impugnaretur. *Nad. an. Cæl.* Nullibi frequentiores Angeli, quam cum Angelis.

O B. Nicolae ora pro me, ut ita frequenter & ferventer Mariam invocem, ut exaudiri merear, utque Dei Patris ac Mariæ Matris bonus Filius, hujus patrocinio in ultima lucta contra infensissimos animæ meæ hostes defendi promerear &c. O Sanctissima Dei, & mea, mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omnī possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum cum ad parem, cum B. Nicolao salutationum numerum venire non possim, Corollâ Dominam meam Marianâ colam.

Si cœlum te vocemus Maria, altior es; si Matrem gentium dicam, præcedis; si dominam Angelorum; per omnia probaris. *S. August. serm. 15. de Nat.*

Quæstio: An Deipara peccatores audiat?  
*v. Bona. in defens. Beatissima Virginis.*



S. Bonifacius ex Ordine Cisterciensium Episcopus Lausanensis Deiparam semel videre cupiens, sæpius impetravit, quæ ei Christum quoque parvulum exhibuit, coram qua in genua procidit cum oraret: Sancta Maria? sanctifica me; Virgo respondit, & sanctificavi, & iterum sanctificabo te. *Ex Fascic. Ord. Cisterc.*  
Nemo absque Maria sanctus.

O S. Bonifaci doce me bona multa facere, & mala multa pati, doce ita vitam instituere, ut post has vitæ mortalis tenebras ad lumen indeficiens evocatus, Dei & sanctissimæ Dei parentis conspectu tecum in consortio tenere Mariam plus, quàm omnia bona mundi, amantium æternum frui concedatur. O Sanctissima &c.

Ad quod impetrandum: Oculos hodie in Deiparæ vultu per imaginem expressum defixos intimâ, plus quam vulgò quis putet, dulcedine pascam, & eandem mihi loqui imaginabor: Regnum Dei consistit in potestate & misericordia.

Potestate domino remanente, cessit quodammodo misericordiæ pars Christi Matri, sponsæq; regnanti: hinc ab Ecclesia tota Regina misericordiæ salutatur. *Gerstr. sup. magnif.*

Quæstio: An major in terra versantis, an in cælo regnantis B. Virginis in homines misericordia? *v. S. Bonav. in spec.*



S. Avertanus Angeli hortatu Religiosum Statum amplexus, dum Religiosam vestem assumeret, vidit sibi à Deipara benedictionem dari, quæ eundem in filium recepit, ac morti proximum cum filio invisit. *Nad.* Mariani amoris schola Religio est.

S. Avertane ora pro me, ut Angeli sancti instinctibus etiam contra illusiones Dæmonis & suggestiones naturæ obediam, & ita à Deipara benedictionem obtineam, per quam ante Jesu Filii ejus futuri Judicis tribunal constitutus audire merear: Venite benedicti Matris. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Singulari hodie obvios Religiosos observantiâ colam, tanquam dicatos Mariæ clientes, ut vel sic in famulis dominam reverear.

Si Nomen Domini terribile est peccatoribus, quomodo Nomen Dominæ erit mansuetum, & pium eis? fortiusne est Nomen Mariæ? éstne efficacius? éstne robustioris virtutis? turris fortissima nomen Dominæ, ad ipsam curret peccator, & salvabitur. *Petr. cluniac. ser. de ann.*

Quæstio: Quæ Religionum Deiparæ charissima sit?



S. Mechtildis Virgo vidit se à Christo Deiparæ Commendari ; ab hac nullam Angelicâ salutatione magis sibi esse acceptam orationem didicit, quin morienti se ad futuram promisit, si quotidie ter ave diceret, quibus primò Filii Sapientiam, secundò Patris Omnipotentiam, & tertio Spiritûs Sancti amorem infinitum honoraret. *Vita. lib. 5. c. 20.* Quàm parvis magna apud Mariam gratia emitur.

O chara sanctissimæ Dei Matris filia S. Mechtildis, quæ à sanctissima orationis Magistra orare didicisti, doce me calentissimo corde, & seraphicâ, quantum humana fragilitas potest æmulari, devotione orare, ut oratio mea Deiparæ placeat, & per eam Sanctissimæ Trinitati charus reddar, perpetuâ ejusdem visione fruiturus. O sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima ! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum : Tria hæc Ave recitabo, & per ea filiam Dei Patris, Mariam Dei Filii, sponsam Spiritûs sancti venerabor.

Maria est cellaria totius Trinitatis, quæ de vino S. Spiritûs propinat, cui vult, & quantum vult, & quando vult. *Alb. m. in c. 2. cant.*

Quæstio : Quâ oratione magis honoretur Deipara, vocali, an mentali ?



B. Simon Garcia jam triennis, ubicunque ibat, Ave Maria mussitabat. Ordinis S. Francisci Visitator factus in singulis Provinciæ Monasteriis hæc portis inscribi præcepit : Ave filia Dei Patris, Ave Mater Dei Filii, Ave Sponsa Spiritus sancti ; Ave Templum sanctissimæ Trinitatis. Impetravit à peccato immunitatem, tumulatus suavem odorem dedit. *Ex vita.* Nunquam virtus plenè emoritur.

O Beate Simon perpetem mihi Mariæ amorem impetra, ut nunquam ejus laus ab ore, nunquam memoria recedat à corde, recedat verò quàm remotissimè exitialis animæ pestis peccatum omne, quod unum & solum tam Virgini, quàm ejus filio summè displicet. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum Garciae jussum secutus eadem verba chartæ inscripta ante oculos hodie locabo ; ut sic eorum conspectu ad frequentius iteranda admonear.

B. Virgo plena fuit gratiâ, non tantùm in se, sed etiam quantum ad refundendum in omnes homines. *S. Tho. opusc. 4.*

Quæstio : Quis titulorum Mariæ charissimus? *v. Barrad. to. I. l. 6. c. 1. in Ev.*



**B.** Conradinus Bornatus Ordinis Prædicato-  
rum singularis Deiparæ amator, apud hanc  
in omnibus, sed in carnis tentationibus potif-  
simùm opem quæsit, & verò etiam invenit;  
nam à sanctissima Virgine in comitatu dua-  
rum sanctarum Virginum apparente omni  
turpium desideriorum motu liberatus est.  
*Mayr.* Semper Virgo tutela virginum.

**B.** Conradine tuas pro me apud Reginam  
Virginum preces interpone, ut hujus auxilio  
statui meo congruam mentis & corporis puri-  
tatem, inter tot ejus evertendæ hostes constan-  
ter tuear, tunc certus me Virgini charum mi-  
graturum è vita, cum nullius impuritatis reum  
me egerit conscientia. O Sanctissima DEI, &  
mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissi-  
mus filius tuus ex toto corde, omnibusque  
tam corporis, quàm animæ viribus centies  
millies, imò infinities te saluto: te omni pos-  
sibili omnium possibilium & actualium crea-  
turarum affectu amare, tibi usque &c. *f. .*

Ad quod impetrandum: Spontaneâ hoc te  
lege à fixo alterius sexus intuitu abstinebo.

In manibus tuis sunt thesauri miserationum  
Domini, & sola electa es, cui tanta gratia con-  
ceditur. *S. Petr. Dam. serm. 4. de Nat. V.*

Quæstio: An DEI Magnitudo plus per so-  
lam Deiparam, quàm per reliquas omnes crea-  
turas dignoscatur? *v. Vega Theol. Mar. n. 1811.*



S. Osvaldus Episcopus templum Deiparæ  
conditurus à Dæmone impediabatur : quæ  
Ethiopis specie lapidi insidens , octuaginta  
hominum vires elusit, ne lapidem loco move-  
re possent; donec precibus ad Deiparam effusis  
Osvaldus Dæmonem fugavit, & lapis facili  
conatu templi fabricæ accomodatus est. *Nad.*  
Fæcundior censu est thesaurus, qui sic dilapi-  
datur.

S. Osvalde audi preces meas, ut Mariano  
fretus auxilio omnem lapidem offensionis, &  
petram scandali, quam in via salutis Dæmon  
opponere mihi laborat, amoveam; ejus ope  
fiant prava in directa & aspera in vias planas;  
sicq; securo tramite in viam vitæ decurram.  
O Sanctissima DEI, & mea, Mater preciosis-  
sima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto  
corde, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: negotia mea hodie  
peragenda amulæti loco contra Diaboli infe-  
stationes Deiparæ invocatione præmuniam.

Magnum est à quolibet sancto, quando ha-  
bet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem  
multorum; sed quando haberet, quod suffice-  
ret ad salutem omnium hominum de mundo,  
hoc esset maximum & hoc est in B. Virgine.

*S. Thom. Opus. 4.*

Quæstio: Utrum in laudanda & amanda B.  
V. possit modus excedi? *v. Barri annum Mar. p.*  
*2. c. 1.*

I. MAR-



**S** Svvitbertus è Comitibus Gallix oriundus  
 natalis sui prænunciam stellam habuit  
 Matri visam ; in lucem editus toto affectu  
 in naufragi maris stellam Mariam ferebatur.  
 Hujus honori Basilicam Werdunensem pri-  
 mus ejusdem Pontifex consecrat , in qua Ju-  
 venem aquis præfocatum in vitam revocavit.  
*Surius.* Hoc Matris viventium in mortem do-  
 minium est.

S. Svvitberte, me agonizantium & viven-  
 tium Matri commenda , sub ejus præsidium,  
 ac defensionis clypeum confugio, sub tegmine  
 alarum ejus Maternæ protectionis me abscon-  
 do , ac pientissimâ ejus providentiâ contra  
 mortem animæ præmunitus vivere & mori  
 volo. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pre-  
 tiosissima ! ego N. indignissimus filius tuus ex  
 toto corde, omnibusque tam corporis, &c. f. 2.

Ad quod impetrandum : vel sanguine me  
 defensurum hodie promittam, Deiparam ante  
 partum, in partu, & post partum , semper  
 Virginem extitisse.

Abyssus est Maria in bonitate & misericor-  
 dia profundissima ; unde etiam profundissi-  
 mam misericordiam Filii sui pro nobis inter-  
 pellans quasi abyssus abyssum invocat. S. Be-  
 navent. in Apoc. c. 5.

Quæstio: Cur in Mariæ nomine Poëtæ me-  
 diam syllabam producant ? v. Barr. An. mar.  
 p. 2. c. 37.

II. MAR.



**B.** Andreas Ordinis Cisterciensium quotidianum Marianarum laudum pensum cantu adeo lento trahebat, ut ad singulas prope voces moram faciens, diem propè integrum iis decantandis impenderit. Octo ante mortem diebus à Deipara visitatus obitûs horam intellexit, ac à discedente cum amplexu osculum pacis accepit. *Gannon ad annum 1312.* Mariæ fides non fallit.

O B. Andrea ora pro me, ut vanas è mente sollicitudines oraturus ejiciam, primùmq; inter negotia sit cultus Marianus, ut salutis & animæ negotiis tempus optimum maximùmque tribuam, hoc enim solum est negotium sæculorum. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibûsque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum singulis orationis Angelicæ verbis tamdiu inhærebo, donec affectus piæ cogitationes suggererit.

Si in Christo Majestatem veneraris Divinam, quod licet factus sit Homo, manserit tamen Deus. Advocatam habere vis apud ipsum? ad Mariam recurre: nec dubius dixerim, exaudietur ipsa pro sua reverentia. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. *S. Bernar. serm. de aqua.*

Quæstio: An meliùs sit plùs amare Deiparam, an plùs ab illa amari?



**S.** Cunegundis Imperatrix, Virgo, Coniunx  
antequam articulatè loqui nossèt, in hæc  
prima verba tenellam linguam solvit. *Ave*  
*Regina Cœlorum.* Virginitatis Marianæ cum Jo-  
sepho exemplum secuta, S. Henrico Coniugi  
virginitatem persuasit, cuius violatæ suspicio-  
nem, quam parens mendaciorum Dæmon ex  
energumena locutus injecerat, illæsis super ar-  
dentes prunas pedibus ambulans diluit, *Ex*  
*vita.* Quidquid calcaverit pes Virginum, rosa  
fi et.

O S. Cunegundis, labia mea Mariæ laudes  
dignè nunciare ut possint, tuæ pietatis igne in-  
flamma; doce cor mundum, & mentem puram  
ab omni pravitate sollicitè custodire, omnes  
in me pravæ cupiditatis ignes extingue, ut sic  
deiparentis ope ignes æternos evadam. O San-  
ctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N.  
indignissimus filius tuus ex toto corde, &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum Rosarium amoris  
Mariani dicam ad singula nempe grana ali-  
quem ejus amoris actum eliciendo.

In hoc convenienter vocatur: Regina miseri-  
cordiæ, ut quivis enormis peccator non pe-  
reat, cui Sancta Sanctorum patrociniū sui sus-  
fragia virgo præstat. *S. Bern. in Salve Reg.*

Quæstio: An Angeli revelationes, quas ab  
iis Deus vult intelligi, operâ Beatæ Virginis  
intelligent? *v. Bonav. in speculo ser. 4. de Assum.*



S. Casimirus Dux Angelicus, suos in MARIAM amores hymno illo: *Omni Die dic* MARIÆ complexus est; Rigidâ per Poloniam hyeme cilicio plûs, quàm reglâ veste, munitus nudipes obibat Templâ. In ipso ætatis flore vitam perdere, quàm Virginitatem, præelegit; corpus post sæculum mansit incorruptum. *Bahng.* Hæc dos est corporis gloriosi.

O Virgineæ Princeps S. Casimire imprime cordi meo tenerum illum in Mariam affectum, ut diem illum inter perditos numerem, quo non aliquod tenerioris in eam amoris specimen edidero. Nulla dies mihi sit sine tali linea, ut felix mihi veniat nox, siue mors ultima linea rerum. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum Casimirianum hodie hymnum decantabo.

Hæc Mater est singularis diligentia, nulla unquam Mater tantum pro filio sollicita fuit imò nec omnes simul sumptæ, quantum Maria sollicita est pro suis. *S. Bern ser. 3. de Assum.*

Quæstio: An simplices, an docti plus Mariam ament?



S. Conon ad matrimonium à parentibus coactus sponsæ author fuit, ut & ipsa suos in Christum amores transferret, sibi quippe statutum esse: omnem Mariæ affectum sacrare. Ratum utrinque pium fædus cœlum probavit, Angelos enim Conon sortitus est Magistros, à quibus communionis cum fructu obediendæ artem doctus est. *Nad. an. Cœl. Ut cognata, ita semper amica, est Angelis virginitas.*

S. Conon doce me eâ devotione sumptum de Maria Christi corpus sumere, quâ tu ab Angelis edoctus ejus sumptionem frequentâsti; ne sit mihi reatus ad culpam, sed intercessio salutaris ad veniam. Utinam eâ id præparatione semper nunc accedam, quâ æternitatis viaticum aliquando sumere desidero. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus, centies millies, imò infinities, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum, spirituali hodie, si dies aliam non ferat; communionem, tanquam pretiosissimis Deiparæ reliquiis reficiar.

Filioli! hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. *S. Bern. ser. de Aquadu.*

Quæstio: Utrum Angeli antequam essent gloriâ donati, sciverint Mariam Dei Matrem fore? *v. Suar. de Angel. 9.*



S. Coleta Virgo ob eximium in Deiparam amorem digna, quam sæpius ipsa inviseret. Quoties sinistrum aliquid metuebat, pro eo avertendo Litanias Virginis Lauretanæ à Sororibus dici volebat, optato semper eventu. Jesum è Mariæ sinu vulneribus plenum in suum recepit, multa de ejusdem passione à Deipara edocta, quæ morbo detentam cum Angelis invisit, & maternâ pietate solata est morientem. *Ex Surio.* Non desinit hæc esse Mater, nî tu desinas esse Filius.

Ora pro me S. Coleta, ut ab omnibus malis animæ meæ imminentibus me protegat Mater pulchræ dilectionis, hæc in hora mortis sit mea post Deum defensio, & firmum auxilium, ut confundantur omnes qui quærunt animam meam ad perdendum illam. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum, optabo sæpius cum S. Mechtilde: Utinam omnium creaturarum corda in potestate haberem, ut ex affectu & viribus omnium te dulcissima Mater amarem!

Manus Dei Maria est, per quam Deus nobis tribuit bona paradisi, unde Psalm 99. inquit: manus mea auxiliabitur ei. *Bernard de busto ser. de nom. Maria.*

Quæstio: An plus in corpore, an in animo passa sit Deipara?



S. Thomas Aquinas adhuc parvulus salutacionem Angelicam Chartæ inscriptam glutivit, quid mirum, quod vitâ & moribus Angelicus evaserit. Fæminam puritati suæ insidiantem titione fugavit, pro qua victoria donum è coelo castitatis accepit. *Ex vita.* Tutissime comescitur ignibus ignis.

O Doctor Angelice S. Thoma ora pro me, ut omnes cupiditatum ardores ignium æternorû memoria procul à me arceat ; impetra mihi scientiam sanctorum , ut ita actiones omnes dirigam, ut audire à iudice aliquando merear. **Benè vixisti.** O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima ! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto : te omni possibili &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum : Si nomen Mariæ chartulæ inscriptum ad ostendendam Mariæ amoris famem hodie glutire non expedit , expediet eidem à Sanctissima Trinitate electionem & prædestinationem ad Maternitatem DEI gratulari.

O Magna ! ô Pia ! ô multum amabilis Maria ! tu ne nominari quidem potes , quin accendas, nec cogitari quin recrees affectus diligentium te. *S. Bern. ser. Pan. ad B. V.*

Quæstio : An S. Thomas Deiparam sine Macula conceptam esse senserit? *v. passim Theologos.*

VIII. MARTII.



S. Joannem Dei pro sua in Deiparam pietate coram ejus icone, tum quidem sipario velata, solitum *Salve Regina* dicere, ad illa verba: *Allos tuos misericordes oculos ad nos converte: reducto velo Deipara respexit: Aliàs eundem à præcipitio, à patibulo, à laqueis Diaboli liberavit, laborantique sudorem è fronte detexit. In vita. Ubi oculus, ibi thesaurus.*

O S. Joannes vir misericordiarum ora pro me Mariam, ut ab omnibus in vita, sed potissimum in morte periculis me clementer protegat: Per tuas manus omnes vitæ meæ labores & sudores Matris Dei honori consecro, cui utinam non ad defatigationem modò, sed usq; ad sanguinem servire possim! ut ubi vivere simul & operari desiero, benignis illa me oculis respiciat. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, &c. fol. 2.

Ad quod impetrandum hymnum illum *Salve Regina*, quem toties placuisse virgini lego, hodie recitabo.

Hæc Mater est sanctæ spei, ad omne bonum & supernam felicitatem, quæ inducit nos ad spem divini adjutorii. *S. Bern. senens. in summa par. 4.*

Quæstio: An dignitas Matris Dei major sit dignitate Filii adoptivi Dei? *v. Suarez de vita Beate V. disp. 1.*

D

IX. MAR-



**S.** Francisca Romana quadraginta annis ne vel unâ die officium Beatissimæ Virginis dicere intermisit. Liber hic precatorius post ejus mortem multorum osculis honoratus, ægris salutem dedit. Inter multos, quos à Deipara favores accepit, ille princeps fuit, quòd Filium suum ejus ulnis inseruerit, & in morte Marianum officium recitanti adfuerit consolatrix. *Ex Vita, Beata Societas Jesu & Mariæ.*

Ora pro me S. Francisca, ut iis me moribus gerere, etiam constanti pietate Mariam venerari studeam, ut mihi & in hac vita agenti, & maximè morienti assistant Jesus & Maria, in horum sanctissimos amplexus animam meam commendo, in horum dulcissimorum nominum pronuntiatione expiret anima mea. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibûsq; tam corporis, quàm animæ viribus centies, millies, imò infinities te saluto: &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Librum precum, vel laudum Marianarum quoties in manus hodie sumam, toties reverenti osculo venerabor.

Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam voca Mariam *S. Bern. hom. 2. sup. mis.*

Quæstio: Cur Christus nunquam Deiparam virginem dixerit? *v. Alb. Min. c. 2. Jo.*

X. MAR.



B. Franciscus Servita solebat spatio 4. horarum quingentis Deiparam salutare, ab ea ne alienæ famæ detractores audire posset, surdus esse petiit, & impetravit. Mater priusquam eum eniteretur Liliū se utero gestare somniavit; expletum est somnium, dum ex Francisci vitâ defuncti oro liliū enatum est. *Chron. Ord.* Hi flores transplantari merentur ad Paradisum.

O liliate Virginis amator B. Francisce, excita ferventis tuæ in Deiparam pietatis odore meum in ejusdem cultu torporem, & pro me apud eam intercede, ut nunc mihi secundum magnam misericordiam suam benedicat, deinde verò in doloribus mortis confortet ac consoletur me secundum omnem benignitatem suam. O Sanctissima Dei, & mea, &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum, si tantum non præsumo, quantum B. Franciscus egit, tot certè vicibus hodie Deiparam salutare non negligam, quot dies cum nocte horas complectitur.

Matri Christi omnem, quam potes, exhibe reverentiam, & dic: Dulcissime Jesu, dignare dare mihi misero peccatori Matri tuæ dignè servire. *S. Bonav. tomo 2. opusc. de rem. affec.*

Quæstio: An B. V. habuerit etiam virtutes per se acquisitas, an solùm infusas? *v. Vega Theol. Mar. n. 1332.*



B. Ascelina neptis S. Bernardi, quotidie trecenties, sabbatho millies, Festis verò Deiparæ sæpius *Ave Maria* iterabat. Quæ oratio certum ei erat in omni necessitate aut occasione perfugium; hac ut dæmonem arceret familiaritatem instruxit. *Conon. 1153.* Quàm facilis, tam certa panacæa.

O B. Ascelina tuas pro me apud Deiparam preces interpone, ac eam mihi fiduciam exora, ut in omni necessitate ad hanc potentem advocatam recurram; & illa mihi vivere sub materna ejus benedictione, ac sub virginea pariter tutelâ feliciter mori concedat. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies milles, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Cùm Ascelinam salutando Deiparam assequi non possim, proborum filiorum morem non omitam, & tam manè ante, quàm vesperi post omnia, Dominam meam salutabo, maternam ab ea benedictionem periturus.

Si criminum immanitate turbatus, conscientie sceditate confusus, judicii horrore perterritus barathro incipias terreri tristitiæ, aut desperationis abyssso, cogita Mariam. *S. Bern. hom. 2. sup. mis.*

Quæstio: Utrum Deipara cum Angelis in terra visibiliter conversata sit? *v. Suar. l. 2. de Ang. c. 2. n. 7.*

XII. MARTII.



S. Gregorius, ut in omnibus, ita in cultu Dei-  
paræ magnus, lue in Urbe ita sævè grassan-  
te, ut intra horam octuaginta absumeret, huic  
placandæ Imaginem Virginis à S. Luca pictam,  
publicâ supplicatione circumtulit, & simul  
Angelus cruentum gladium in vaginam re-  
condere visus, alii *Regina Cœli* &c. canere au-  
diti sunt. *Baron.* Periisset urbs & orbis, nisi per  
Mariam staret.

O S. Gregori ora pro me, ut strictum in pec-  
cata mea justissimi Judicis ensem misericors  
Mariæ intercessio mitiget, ut sic gladium iræ  
Dei per Matris misericordiam effugiam, eorū  
censendus è numero, quos vera pœnitentia e-  
lectorum sedibus adscripsit. O Sanctissima Dei,  
& mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissi-  
mus filius tuus ex toto corde, omnibûsque tam  
corporis, quàm animæ &c. f. 2.

Ad quod impetrandum ab Angelis edoctus  
hymnum: *Regina Cœli* &c. maximè versum  
quartum à S. Gregorio additum: *Ora pro nobis*  
*Deum, Alleluja!* ferventiùs iterando, omnem  
ab anima mea pestem averti supplicabo.

Sanctorum omnium privilegia, ô Virgo!  
omnia habes in te congesta, nemo æqualis est  
tibi, nemo major te, nisi Deus. *Idiota.*

Quæstio: An Christus obligatus fuerit ama-  
re Mariam, prout alii Filii Matres? v. *Segneri*  
*Cl. Mar. c. 3.*



S. Euphrasia Virgo, Virginitatis tuenda amore contemptis cum Principe nuptiis, mortem elegit, quam coronâ gloriæ coronare visa est Regina Virginum, Virginique inter suaves amplexus dicere audita: *Ecce mercedem tua! post decem dies veniens, frueris hâc secum infinitis*, post quem dierum numerum piè, ut vixit, mortua, ad patientiæ mercedem ab Angelis est deducta. *Nad. an. Cal.* Indulget illis petita cœlum, qui sibi nihil indulgent.

S. Euphrasia, vide, quantum meæ me predeat socordiz, dum cogito quàm pauca quamq; exigua sint, quæ Deiparæ immolari obsequia; ora pro me, ut neglecta majori fervore faciam, & usque ad mortem, semper Dei, semper Mariæ obsequiis ex integro ad dictissimus vivam. O Sanctissima Dei, mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque partem corporis, &c. fol. 2.

Ad quod impetrandum: Laudes hodie Marianas in Lytaniarum seriem congestas, eâ quâ moriens vellem, amoris intensione recitabo.

Quibus auxiliata fuerit Deipara, erit iis refrigerium pacis, & à quibus averterit vultum suum, non erit eis spes ad salutem. *S. Bonav. Ps. 90.*

Quæstio: Num etiam Beatissima Virgo, ut quilibet homo, dæmonem habuerit assistentem? *Vide Vegam Theol. Mar. Pal. 24. cer. v.*



S. Petrus Claræ-Vallis vidit, quomodo Monachorum ex obedientia laborantium sudorem Deipara collegerit; eundem adhuc novitium inter preces somno oppressum Angelus excitavit. Uno oculorum ex infirmitate perduto gratias egit, quod uno hoste pauciores haberet. *Chron. Ord.* Magnum virtutis lumen est, lumen clausum.

O Sancte Petre mentis meæ oculos illumina, ut & sudorem & sanguinem, si opus sit, ejus honori venalem habeam, cujus Filius pretiosissimum sanguinem pro mei redemptione usque ad ultimam guttam profudit; excita temporem meum, ut me vigilantem inveniat Dominus, cum venerit & pulsaverit. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, &c. f. 2.

Ad quod impetrandum oculos meos hodie ita custodiam, ut in nullius vultum reflexè defigantur.

Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat à corde; & ut impetres orationis ejus auxilium, ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsam tenente non ruis, ipsam protegente non metuis, ipsam Duce non fatigaris, ipsam propitiâ pervenis. *S. Bern. hom. 2. sup. mis.*

Quæstio: Num Beatissima Virgo Christo parvulo aliquando accinuerit? *Vide S. Aug. in P. 144.*



S. Francisca sinceræ in Mariam pietatis magistra, quam verbo commendabat opere ipsa prior exercebat, luculenter experta, quoniam cum hac ad Dei Genitricem fiducia omnia pleno agmine bona, tam spiritualia, quam temporalia largissimè veniant. Vidit illa hodie Deiparam sanctis Paulo & Benedicto sociatam sorores suas invisentem, & eas ad tenerum Patronæ suæ amorem & cultum adhortantem. *Nad.* Amor similes invenit, aut facit.

S. Francisca ora pro me, ut ego internis Dei, & Angeli mei instinctibus obediens, discam debite; O utinam debite! Mariam amare & colere, ut ejus favorem ibi experiri merear, ubi potissimum est necesse, nempe in agone, O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima, ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quam animæ &c. f. a.

Ad quod impetrandum: id, si loci commoditas patiatur, agam, quod hodie mortuus P. Gonsalvus Sylveria egit, & Rosarium Deiparæ recitans, ad singulas salutationes coram ejus Imagine genu curvabo.

In Maria invenit captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, justus gratiam, & peccator veniam. *Ephr. ser. de laud. Beatissima Virginis.*

Quæstio: Utrum in Deipara fuerit aliqua ignorantia? v. *Sylv. 10. 1. in Ev. l. 2. c. 10. §. 14.*



S. Abramius è Sponso Eremita. Nobilis olim & dives, ut nobilior esset, virginitatem Deiparæ consecravit, dum ipsâ nuptiarum die incognitus sponsâ, thoro, cognatis, opibus, spebusque maximis, generoso pede calcatis fugit, eremum subiit, ubi quinquaginta annis corpus austeritate rigidâ coëgit in obsequium, vestibus per totidem annos non attritis. *Ex vits. Patrum.* Melius est animæ, cū pejus est corpori.

Ora pro me S. Abraham Eremita, ut corpus meum in servitutem redigam, ne spiritui adverteretur, ne si post concupiscentias, & vestigia cupiditatum mearum incaute eam, inde aberrem, quò non veniunt, nisi qui castigant corpus suum. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus, centies millies, imò infinities &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum corpus hodie Mariæ servire cogam, & aliquam, quæ se mihi facile offeret, corporis mortificationem ejus honori offeram.

Quomodo Sanctissimæ Virginis potentia obviare poterit potestas illa, quæ de ejus carne carnis suscepit originem. *S. Pet. Dam. ser. 1. de Nat.*

Quæstio: Utrum Beatissima Virgo obviorum tibi hominum Angelos Custodes viderit? *v. Barri An. Mar. p. 2. c. 31.*



S. Gertrudis Virgo singulares à Deipara fa-  
 res experta, ejus conspectu sæpius, in mor-  
 bo præsertim, est recreata. Ut nuptias fugeret,  
 è Domo Patris Pipini Brabantia Ducis, pere-  
 grina fugit, tantò se beatiorem rata, quantò ab  
 aula vanitatibus remotior, sibi uni, soliq[ue]  
 Sponso Deo quietiùs vivere posset. Pro dono  
 puritatis à Deo per Beatissimam Virginem  
 impetrando insigne hujus honori Sacellum  
 extruxit. *In vita.* Tutior inter Leones, quàm le-  
 ones Virginitas est

O S. Gertrudis ora pro me Matrem Dei, ut e-  
 jus auxilio fugiam omne id, quod corporis in-  
 tegritati, & mentis puritati posset officere, ut ita  
 cor meum templum sit, in quo tanquam in al-  
 tari quiescat Deus; certus, tunc me omnem  
 Deiparæ Purissimæ Virginis gratiam amissu-  
 rum, cum cor meum terræ adhæserit. O San-  
 ctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima lego Ne  
 indignissimus filius tuus ex toto corde, omni-  
 busque tam corporis, quàm animæ viribus  
 centies milles, imò infinitis &c f. 2.

Ad quod impetrandum cum Gertrude, cor-  
 de potiùs, quàm ore, sæpius hodie Mariam  
 volvam, venerabor, amabo.

Quis possit vivere qui Mariam non amet  
 & quæ illam amandi ratio, si de ea non sæpe  
 sæpius cogites. *Thauler. ser. de Assum.*

Quæstio: An Beatissima Virgo Musicam cal-  
 luerit? *v. Alb. M. sup. miss.*



S. Anselmus Lucensis Ordinis S. Francisci, dum in Altari Deiparæ sacro Missam diceret, eam sibi præsentem videre meruit. Hujus cultum ut latius promoveret, surdos ac mutos recitare *Ave Maria* jubens, sanitati restituebat. *Barripium fœdus. Deliciæ Matris esse cum Filiis.*

S. Anselme ora pro me, ut ibi mihi maximo peccatori Mater misericordiæ dignetur assistere, ubi circumdabunt me inimici mei vallo, ut hos animæ meæ insidiantes ejus patrocinio confundam. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili &c. f. 2.

Ad quod efficacius impetrandum: Omnes sanctos Marianam corollam recitando invocabo. Ad primam Decadem S. Michaelem cum novem choris Angelorum, ad secundam Apostolos, ad tertiam Martyres, ad quartam Confessores, ad quintam Religiosos, ad sextam Virgines nominando.

Nulli sit dubium, quin totum ad Gloriam laudis Dei pertineat, quidquid Genitrici suæ impensum fuerit, ac solenniter attributum. *Sophon. ser. de Ass. Beatissima Virginis.*

Quæstio: Utrum Beatissima Virgo magis nos amet, quàm à nobis ametur? *Barri An. Mar. p. 2. c. 54.*



S. Josephus, si quisquam é mortalibus, fuit Mariæ amans, ejus Virginitatis custos & testis. O quot purissimi amoris argumenta edidit, recepitque à Maria Virgineus Sponsus! Quis mutui inter eos amoris magnitudinem, ardorem, sublimitatem assequatur? Non habebat amaritudinem hæc conversatio. Maria gaudium Josephi, Josephus solatium Mariæ, hæc ut viventi, ita & morienti semper adfuit individua. *Ex vita.* Nemo Virginis Sponsus, nisi Virgo.

O Sanctissime Nutritie Jesu, & lectissime Sponse Mariæ, Patrone mihi charissime S. Josepho, te in agonis mei tutelarem eligo, nemo te beatius, quia inter Jesu & Mariæ manus, expirasti. Eosdem tu mihi redde propitios, ut in tenerrimo vestri amore indefinenter cresciam, vestro me totum credam patrocinio, & in Sanctissimorum Vestrorum nominum ingeminatione vitæ cursum absolvam. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! &c. f. 2.

Ad quod impetrandum Sanctissimæ Virginis Sponsam specialius hodie veneraturus, meos Marianis ejus affectibus sociabo.

Non solum supplicantes exaudit Virgo Deipara; sed, ut ex sua clementia consuevit, etiam supplicare volentium preces prævenit. *Conc. Basl.*

Quæstio: Quando Sanctus Joseph obierit? *v. Barrad. 10.2. in Ev. 1.3.6.1.*

XX. MAR.



S. Joachim Sanctissimæ Dei Genitricis Pater,  
quantum Deiparam dilexerit, quis asse-  
quatur? quis eam diliger, si Pater non amet,  
maximè Filiam tam dignam amari. Hanc ut  
sincerius se amare ostenderet, vix trimulam  
Deo consecravit, moriturus eandem S. Elisa-  
bethæ Cognatæ commendavit. *Ex vita.* Quan-  
tùm munde debes Joachimo?

O. S. Magnæ Dei Matris Pater, apud Filiam  
tuam, Matrem meam intercede, quia potes  
omnia, ut verus Mariæ Filius vivam & mori-  
ar. O Sanctissima Virgo per dulces amantif-  
simi tui Patris amplexus & amorem te obte-  
stor, da mihi tuum amorem promereri, ut tu  
mihi sis Mater, sicq; ego sim nepos Joachimi.  
O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretio-  
sissima! ego N. indignissimus filius tuus ex to-  
to corde, omnibusque tam corporis, quàm  
animæ viribus centies millies, imò infinities te  
saluto: &c. fol. 2.

Ad quod impetrandum Beatissimæ Virginis  
Patrè sacro hodie audito vel lecto celebrabo,  
qui tali Filiâ me, & orbem solatur universum.

Summus honor, summa gloria, & summa  
utilitas est servire Mariæ, & de ejus esse Fami-  
lia, etenim ei servire, regnare est. *Damas. or. 2.  
de Annun.*

Quæstio: An Sanctus Joachim præter Ma-  
riam aliam prolem habuerit? v. *Barrad. in  
Ev. 10. 1. c. 15.*



S. Benedictus tot Monachorum Pater, quos per cultum & venerationem singularem Deiparæ peperit. Magnâ reverentiâ ejus Reliquias profecutus, secum gestabat; sanxit, ut in quovis Ordinis Monasterio sacellum esset colorum Reginae sacrum. Corporis puritatem, Mariæ tam acceptam, ut servaret, carnis stimulos, spinis, quibus corpus involvit, expunxit. *Ex Chron. Ord.* Non sunt mollia prælia castitatis.

O Sancte Sanctorum plurimorum Pater Benedicte, intercede pro me apud Ordinis tuam Dominam, ut in omnibus actionibus & negotiis meis, potissimum verò in agone sim ab illa benedictus, sicq; Deum æternum unâ tecum benedicam. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis quam animæ viribus, centies millies, &c. *fol.*

Ad quod impetrandum, nullum incolam cubiculum, in quo Deiparæ iconem desiderari patiar, quâ & oculos, & cor novis semper flammis incendam.

Gens & Regnum quod non serviret Deiparæ, peribit, & gentes solitudine vastabuntur, quia destitutæ tantæ Matris auxilio, destituentur auxilio Filii, & totius curiæ cœlestis. *S. Damas. or. 2. de Assum.*

Quæstio: An ullum in Deipara fuerit ad peccatum incentivum? *v. Vega in The. Mar.*



S. Catharina Suecica Virgo vidua, sancta sanctæ Brigittæ Filia, septennis à jocis terrestribus ad amanda cœli gaudia invitata omnium actionum initio Ave Maria præmittebat, neque ante hoc recitatum ulli, etsi consulta responsum dabat. Vidit mundum totum incendio involutum, periturum, nisi pro eo Deipara Deum precaretur. Modestissimè noctu jacentem, uti & morientem cum Angelis Deipara invisit. *Ex vita.* Vis ad cœlum in agone invitari, dimitte prius terram.

O S. Catharina per tuam intercessionem omnia, salutis præsertim ac æternitatis, negotia Deiparæ commendo; in superabundans mare gratiarum ejus me demergo; inter brachia inexhaustæ ejus pietatis me projicio, in sinu ejus habitare firmiter eligo, ibique mori feliciter opto. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum non prius hodie consilium rogatus dabo, quàm salutatione Angelicâ prius ipse Deiparam consulvero.

Servus Mariæ si ceciderit, non collidetur, quia Domina misericorditer supponit manum suam. *Rich. de S. Laur. p. 1. de la. Vir.*

Quæstio: An B. Virginis voluntas fuerit semper opere consecuto completa? *v. Vega n. 665.*



S. Otto Romanus, primò studiosus, dein miles, tandem monachus, dum in captivitatē hostium delapsus interpositā Divi Bernardi? apud Deiparā ope libertatem obtinisset, spontaneā se captivitate monasterio inclusit, & Mariæ cultui, cui debebat libertatem, vitam addixit. *Nad.* Nemo magis servus, quam suarum cupiditatum mancipium.

S. Otto per omnia probate, ora pro me, ut passionum & concupiscentiarum mearum iugum excutiam, ut ubi ex his carneæ molis vinculis evocata fuerit anima, in libertatem Filiorum Mariæ ejus patrocinio asseratur. Rumpere Domina sæva illa vincula, quæ reluctantes stringunt, dum non quod volo bonum, sed quod nolo malum, ago. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum cum hodierno P. Mendez S. J. unā ante alios horā ad Preces Deiparæ absolvendas surgente, alios in salutanda Beatissima Virgine hodie prævenire satagam, ac primus è meis commilitonibus hodie Matri Ave dicam.

Misericordia Virginis sæpe liberavit, quos justitia Filii damnare potuit. *Idiota.*

Quæstio: Utrum Angeli in Cælo audito MARIÆ in terris nomine exhilarentur? *v. Rich. à S. Laur. l. 1. de laud. Beatissima. Virgini. c. 2.*



S. Gabriel Archangelus primus præstantiam  
& dignitatem Mariæ orbi manifestavit,  
primus ejusdem encomiaſtes, hic excellentem  
orſus eſt panegyrim, quam tot jam ora con-  
tinuant. Eo in Deiparam amore fertur, ut ne-  
mo fuerit è Virginis amatoribus, qui eum in-  
amanda Virgine ſuperaret; Individuus hujus-  
comes, quia Cuſtos Angelus. *S. Iren.* Nulla gra-  
rior Mariæ ſalutatio, quàm quæ venit ab  
Angelo.

O Cœleſtis Paranymphe, gloriſſime Ar-  
changele S. Gabriel, qui Deiparæ à Deo cuſtos;  
datus es, cuſtodi hanc animam meam, eſto eî  
fortitudo Dei, ut nulli carnis aut dæmonis im-  
pugnatiōi ſuccumbat: Doce me quâ reveren-  
tiâ, quo fervore Mariam colere, amare, quâ  
voce, quo corde ſalutare debeam. O Sanctiſſi-  
ma Dei, & mea, Mater pretioſiſſima! ego N. in-  
digniſſimus filius tuus ex toto corde, omni-  
bûſque tam corporis, quàm animæ &c. *ſol. 2.*

Ad quod impetrandum S. Gabrielem ho-  
die invocabo, ut dum in ſalutanda Virgine  
cum æmulor, ipſe meos conatus juvare ac Dei-  
paræ velit præſentare.

Ad omnem tentationem & tribulationem,  
ad omnem denique cuiuſque modi neceſſi-  
tatem, aperta nobis Urbs refugii, ſinus Matris  
expaſus eſt. *S. Bern ſer. 7. qui hab.*

Quæſtio: Quis Deiparæ Angelus Cuſtos  
fuerit? *v. Stengelium Ord. S. Bern.*



**H**Æc est dies salutis, in qua omnium Marianam  
amantium Primipilus Dei Filius suum in  
eam amorem luculenter probavit, dum è coe-  
lo in ejus uterum se demittens **VERBUM**  
**CARO FACTUM** è Virgineo Mariani cordis  
sanguine corpus assumpsit. Quid non possit  
amor?

O Sanctissima Dei & peccatorum omnium  
Mater, ecce antequam Divinissimus tuus Filius  
animam in cruce ageret, dulcibus iis verbis:  
*Eccè Filius tuus*: me quoque tuæ curæ commi-  
sit, en me filium prodigum ad pedes tuos pro-  
volutum, tuam opem suppliciter imploran-  
tem respice, ac ut vitam & mortem tantâ Ma-  
tre dignam obeam concede. O Sanctissima  
Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. in-  
dignissimus filius tuus ex toto corde, omni-  
bûsque tam corporis, quam animæ! &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: in memoriam eo-  
rum dierum, quibus Christus in utero Beatif-  
simæ Virginis quievit, hodie & per octavam  
cum S. Gertrude 35. Ave recitabo.

Maria mediatrix nostra est, ipsâ etenim me-  
diante Verbum caro factum est, ipsa omnium  
donorum, gratiarum charismata in perfectis-  
sima virtute percipit, ut Ecclesiam lætificet,  
irriget, & fœcundet. *Ernest. Prag. in Mar.*

Quæstio: An diurno, an nocturno tempore  
ab Angelo salutata fuerit Deipara Virgo? v.  
*Barrad. in Ev. t. 7. c. 6.*



S. Braulius Episcopus Cæsar-Augustanus ut filialem in Deiparam affectum, quem vivens ferebat, post mortem etiam testaretur, corpus suum (ut revelatione didicit S. Valerius Episcopus) ad ædem Mariæ Majoris transferri voluit. *In vita.* Amoris veri terminus æternitas est.

S. Brauli, cujus etiam post mortem curam gessit, quæ nunquam suorum obliviscitur Maria, ora, ut viventi mihi ita semper curæ & cordi sit Deipara, ut morientis mei curam illa suscipere dignetur. Ubi corpus post fata reponatur minùs interest, modò anima Dei, ac Divæ ejus Matris consortio non privetur. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus senties, millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Triginta quinque heri inchoatas salutationes hodie continuabo.

Tibi Domina! misericordiæ officium est commissum, undique tu misericordiâ valaris, solum misereri tu appetere videris, ita sollicita es de miseris. *S. Bern. sup. salv.*

Quæstio: An Deipara substantiam Gabrielis Archangeli viderit? *v. Stengel. in salv. c. 9.*



S. Rupertus Episcopus Salisburgensis Juvavii  
 monasterium honori Deiparæ, S. Gertrudi  
 sorori suæ, & monialibus erexit. Aedes pariter  
 veteris Oetingæ, orbe toto Thaumaturgæ Ru-  
 perto debet Bavaria, & ob hanc omnia sua bo-  
 na. Cùm Idiota esset Rupertus, eam precibus à  
 Deipara Scripturarum notitiam impetravit,  
 ut neminem suo tempore parem habuerit. *Ex  
 vita.* Huc, ad Matrem sapientiæ Academici l.

S. Ruperte qui toti Bavariæ Beatissimæ Vir-  
 ginis amorem, & cum hoc veræ sapientiæ lu-  
 men affudisti; ora pro me apud Deiparam, ut  
 ejus sapientiæ studiosissimus sim, cujus ductu  
 spiritualia præ corporeis gaudia æterna præ  
 temporalibus sapere, & vitam pro bona morte  
 disponere discam. O Sanctissima DEI, & mea,  
 Mater pretiosissima / ego N. indignissimus fi-  
 lius tuus ex toto corde, omnibusque tam cor-  
 poris, quàm animæ viribus centies millies,  
 imò infinities te saluto: te omni possibili om-  
 nium possibilium, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum restant mihi hodie  
 iterandæ triginta quinque salutationes Ma-  
 rianæ.

Peccatorem Deipara materno affectu am-  
 plectitur, fovet, nec deserit, quousque horren-  
 do Judici reconciliet. *Bonav. in spec. c. 5.*

Quæstio: Cujus Angelos inter, ordinis sit  
 missus ad Deiparam nuncius Gabriel? *v. Syl-  
 veir. tom. I. c. 5. q. 8.*



S. Xistus Papa post vindicatam à Nestorii blasphemias Deiparam, in obtentæ victoriæ memoriam etiam posteris imprimendâ, Sanctæ Mariæ Majoris Templum ruinâ meditando, amplitudine, aureisque statuis magnificentiâ summâ donavit. *Balingh.* Divitum crimen est, quod divitiarum putatur. Cœlum his emitur.

S. Xiste tuo me anima exemplo, ut cum aliæ non suppetant, corporis & animæ facultates omnes ex asse Deiparæ Virginis & Filii ejus honori consecrê; Totus quantus quantus sum, siam eorum gloriæ census, huic utinam impendar & superimpendar, huic ipsam emorientis animam in servitutis meæ vectigal accipiam. O Sanctissima DEI, & mea, Mater preciosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibili &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum persuasa exemplo S. Gertrudis triginta quinque Ave Maria, ut inchoavi, persequar.

Opus est mediatore ad ipsum Mediatorem, qui licet sit misericors, habet tamen judicariam Potestatem: nec alius votis utilior, quam Maria. *S. Bern. in sig. mag.*

Quæstio: Cur Gabriel formam hominis indutus Deiparæ apparuerit. *v. Stengel. in Act. Gabr.*



S. Aufrasius Abbas Luxoviensis ut duas nobiles puellas cæcas ad amorem Deiparæ pelliceret, promisit eâ lege oculos iis restituere, si perpetuæ Virginitatis custodiâ vellent Dei Matrem imitari. Promisere hæ, & ille promissis stetit; oculos virginibus dedit, quibus obtentis plurima plurimum videre cæperunt pericula Virginitatis. *Ex Surio.* O quot sunt, qui oculos habent, & non vident.

O S. Thaumaturge Aufrasi honoris Mariani propugnandi studiosissime, oculos corporis & animæ illumina, ut videam ea quæ agenda sunt, & quæ recta sunt agere valeam. Oculos ego meos jam pridem charæ mihi præ oculis Matri donavi, absit ut eos unquam aperiâ vanitati. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima lego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis & c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Augebo inchoatum salutationum numerum, dictis hodie triginta quinque Ave Maria.

Si intelligis te in hujus sæculi profluvio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne avertas oculos à fulgore hujus syderis Mariani, si non vis obrui procellis. *S. Bern. ser. 1. de Ass.*

Quæstio: An Deus immediatè per seipsum, an interventu superiorum Angelorum legationem ad Beatissimam Virginem Gabriellâ intimaverit? *v. Sylv. tr. 1. c. 5. q. 2.*



S. Zozimus Episcopus Syracusanus Parentum præ stemmate Deum amantium pietate jam septennis ad Monasterium delatus, in Deiparæ cultu instructus adolevit; Dein prohibitatis suffragio Episcopatu applicatus, exornando Mariæ templo conatus impendit, ubi pro Cleri populique delictis Deum per Virginem precabatur. *Bollan.* Fugiendum est citò, quod nocet citò.

S. Zozime ut pro populi tui peccatis olim orabas, ita nunc pro meis abolendis apud Deiparam intercede, ut sine peccati reatu conscientia tranquilla supremum agonem subire non reformidet. Non avertas benignos à prodigo filio tuo pia Mater oculos, tua misericordiæ viscera, non meam respice iniquitatē, & salva erit anima mea. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, &c. *sol. 2.*

Ad quod impetrandum propositi facti tenax hodie pariter triginta quinque Ave Maria dedicabo.

Spem à Virgine habens sanaberis; defensionem ejus possidens non timebis: sed persequeris inimicos tuos, & in fugam vertes, habens ut thoracem protectionem & auxilium ejus. *S. Damas. in Ana.*

Quæstio: Cur Mariæ vigilantibus, ac Josepho dormienti compareat Angelus? *v. Aponte in Ev. c. 10.*



S. Mauritii Csaki Ordinis Prædicatorum Mater prægnans, devotione tunc Ungaris propriâ, ad Deiparam confugit, cuius ope Filium enixa, totum ejusdem obsequio dicavit. Nec minus, ac Mater volebat, egit Filius, Martii Dei honori diem impendere non contentus, etiam noctes addebat, quod agere volenti, ultrò, se templi fores referabant. *Boll.* Nullus est obex Mariam colere volenti.

S. Mauriti, cuius devotioni dies nimium angustus, & omnis mora brevis erat, doce me orare, ita vitæ dies & noctes agere, ut noctem illam quæ prima mihi æternitatem aperiet securus ingrediar, & Cœlestis Jerusalem portam apertam inveniam. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies, millies, imò infinities te saluto: te omnino possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, &c. f. 2.

Ad quod impetrandum restant hodie dicendæ 35. salutationes Marianæ.

In petitione Beatissima Virgo habet vires insuperabiles, & robur inexpugnabile, ne immensam ejus clementiam superet multitudo peccatorum. *Greg. Nicom. or. de B. V.*

Quæstio: Cur non Propheta, sed Angelus revelaverit Beatissimæ Virgini Christum naturam humanam assumpturum? *v. Vener. Bed.*

I. APRIL.



S. Hugo Abbas, nihil minori erga Deiparam, quam Filius in Matrem solet, affectu rapiebatur; adhuc Novitius in tentationibus occurrentibus sub præsidium B. Virginis confugiebat, eo successu, ut Mater Sanctissima ei unà cū Filio apparere dignata dixerit: Viriliter age, & confortetur cor tuum in Domino, & certus esto, te deinceps talibus tentationibus cariturum *Nad.* O beata securitas, sed post prælium.

S. Hugo repete preces tuas, & quia tu periculis exemptus securus in cælo triumphas, eas mihi applica, ut per tuam apud Virginem intercessionem, virilem in tentationibus animum impetrem, quo confortetur cor meum, ne ultimis, qui gravissimi sunt, inferni hostis insultibus cedat. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies milles, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: dierum, quibus Christus in Deiparæ utero quievit, numerum completurus 35. Ave Maria absolvam.

Si singas B. V. aliquid postulare, totamque celestem curiam illi resistere; potentior esset, majorisque efficaciam & valoris apud Deum Virginis, quam reliquorum omnium oratio. *Suar. to. 2. in 3. d. 23. f. 2.*

Quæstio: Cur Angelus in salutatione Mariæ nomen subticuerit? *v. Sylv. in Ev. q. 28.*



S. Franciscus de Paula in cultus Mariani constantia enituit. Ejus Rosarium à decimo tertio ætatis anno usq; ad supremum nullo die intermisit; ejusdem iconem in conclavi frequentissimè reverebatur; cui dum Ludovicus XI. Gall. Rex, aliam 17. Philippæorum millibus æstimatam substituere vellet, recusavit, addens pietatem non auro, aut artificio, sed Deiparæ deberi. Miraculorum gloriam, quæ plurimè edebat, B. Virgini attribuit. *Hist. Ord.* In capite nempe flumina redeunt, ut pereant.

O S. Francisce impetra mihi eam in beneceptis omnibus, sed in cultu Mariano potissimum constantiam, per quam ejus mihi patrocinium obtineam, ut illa mihi sit dubitanti Consul, eunti semita, erranti via, pauperi refugium, via morienti, periclitanti salus. O Sanctissima &c. fol. 2.

Ad quod impetrandum: in memoriam memoris sum, quibus Christus in utero Deiparæ lactavit, novies dicam: Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium, & beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum.

Ad Mariam accedere ne trepides, nihil austerum in ea, nihil horribile, tota suavis est, quæ ad eam pertinent plena omnia pietatis, & gratiæ: plena sunt mansuetudinis, & misericordiae. *S. Bern. ser. in sig. mag.*

Quæstio: An clam, an palàm factum Mariæ obsequium, illi gratius.



S. Panchratius Episcopus & Martyr, cujus  
Epistola ex idoli collo suspensa illi silen-  
tium indixit, urbe Tauromiense ab Ethnicis  
obsessâ rebus propè desperatis spem in Maria  
invenit, ejus imaginem hostibus ex urbis mu-  
ro obvertit, & illis in mutuam cædem versis  
urbi libertatem impetravit. *Nadasi.* Non de-  
sunt Mariæ vincendi média.

S. Panchrati nunc pro me Deiparam roga,  
ubi salutis meæ hostes animam, & mortis  
dolores corpus oppugnaverint, ejus patrocinio  
ad hostium confusionem in fidei, spei & cha-  
ritatis actibus perseverem. O sanctissima Dei,  
& mea, Mater pretiosissima! ego n. indignissi-  
mus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam  
corporis, quàm animæ viribus centies mil-  
lies, imò infinities te saluto: te omni possibili  
omniumpossibilium & actualium creatura-  
rum affectu amare, tibi usque ad ultimum  
vitæ spiritum, quantum possibile erit, placere  
& servire &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum, pro rerum succes-  
su Deiparæ gratias referam accommodato in  
nunc finem hymno Ambrosiano: Te Dei Ma-  
trem laudamus, Te Dominam cœli confite-  
mur, &c.

Maria est à Deo electa, parata, & posita tan-  
quam esca dulcissima ad capiendos homines,  
& præcipuè animas peccatorum. *S. Cath. Senens.*

Quæstio: Num B. V. tentata unquam fue-  
rit ab intrinseco? *v. Vega n. 1655.*



B. Taclemanoth Ord. Præd. Indus, præcipuo  
semper in Sanctissimam Deiparentem af-  
fectu æstuans, nullâ re magis, quàm ejus me-  
moriâ delectabatur. Ad extrema deductum  
Christus & Deipara invisere dignati conclave  
suavissimo odore compleverunt. *Boll.* Sola ve-  
ra est, quæ usq; ad mortem durat amicitia.

O B. Inde impetra mihi hoc à Maria le-  
men, ut agnoscam, quomodo terrena nos, om-  
nia in morte deserant, & ea sola, quæ gestim-  
bona consolentur, ut ex hac agnitione discam  
cor maturè à terrenis avellere, illudque in Je-  
su & Maria defigere, qui me cum morte  
stantem juvare poterunt. O Sanctissima De-  
& mea, Mater pretiosissima! ego N. indig-  
nissimus filius tuus ex toto corde, omnibus  
que tam corporis, quàm animæ viribus ce-  
ties millies, imò infinities &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: cum hodierno  
Joanne Ramirez S. J. in rebus dubiis pro co-  
filio petendo Deiparæ supplex accidam.

Non potest ullo modo esse repulsa, ubi cor-  
currit, & orat omni lingua disertius Me-  
ria, quæ Filio exhibet, pectus, & ubera, co-  
mentiarum monumenta, & charitatis insignia  
*Arn. Carnot. de laud. Virg.*

Quæstio: An Deipara in terra vivens semper  
per essentiam Dei viderit, an solùm per in-  
valla? v. *Yega in The. Mar. palas. 34. cert. 3.*  
V. APRILIS.



Vincentius à Ferraria Mariæ amore velut scuto contra carnem, & visibiles etiam Dæmones utebatur. Juvenis quotidie Virginis officium dicere in mores duxit, Concionator omnibus dictionibus Deiparæ salutationem præmisit; rudibus & pueris doctrinam Christianam proponens, ut sæpiùs per diem Ave Maria dicerent, persuasit. *Ex vita.* Osi plures sint Mariæ Apostoli.

S. Vincenti tu scis, quomodo infernus hostis animæ meæ insidias tendat, tuis pro me apud communem mihi, tibi que Matrem precibus age, ut hâc Magistrâ omnes Erebi conatus eludam, accensis ejus amoris ignibus, ignes & ardores concupiscentiæ compescam. O Sanctissima Deû, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum: Si occasio desit, ut dictioni hodie cum Vincentio A. M. præmittam, illud statuam, quòd ubi alios publicè aut privatim alloquendi occasio fuerit, Mariæ salutationem præmittam.

Nullus est ita alienatus à Deo, nisi omnino fuerit maledictus, qui, si me invocaverit, non revertatur ad Deum, & habeat misericordiam. *S. Brig. l. 6. revel. c. 10.*

Quæstio: Utrum B. V. cultui & obsequiis devotus damnari possit? *v. Barr. an. Mar. p. 3. c. 59.*



S. Eutichius Patriarcha Constantinopolitana  
 nus oleo ex imagine Deiparæ promanante  
 te mira patravit ; Juvenem ob desertam Reli-  
 gionem à Dæmone obsessum malo hospite  
 liberavit, morbos fugavit, cæco visum restitu-  
 it, farinam in defectu auxit. *Nad.* Omnibus  
 omnia fit Maria, modò non desint, qui velint  
 accipere.

O S. Eutichi ut Matrem tuam adhuc utero  
 gravem lux è cælo circumfulsit, precibus tuis  
 mentis meæ lumen adauge, ne cœci amoris  
 illecebris captus Mariæ me indignum red-  
 dam amoris ; sed dum tenebræ mortis ingru-  
 rint, lumen mihi esse dignetur illa, quæ lux  
 mundi est, & stella maris. O Sanctissima  
 DEI, & mea, Mater pretiosissima ! ego N. in-  
 dignissimus filius tuus ex toto corde, omni-  
 busque tam corporis, quàm animæ viribus  
 centies, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum : Secundos rerum  
 successus, qui mihi hodie obvenient post nego-  
 tia peracta Mariæ feram in, acceptis & gratias

Quid negabitur Matri, cui negatum non  
 est Theophilum de ipsis perditionis faucibus  
 revocare ? Nihil illi impossibile, cui possibile  
 est desperatos in spem beatitudinis relevare  
*S. Damasc. ser. 1. de Nat. Virg.*

Quæstio : An vetera, an nova sæcula De-  
 paræ cultui magis addicta ? v. *Nieremb. in trop.*



B. Hermannus à Deipara nomen Josephi accepit; quoties Mariam nominabat, terræ figebat osculum; cùm ei ad parandos calceos ars deesset, Mater Dei lapidem in templo ostendit, sub quo pecuniam reperire posset; duos eidem dentes, qui exciderant, restituit; deum & sacris operanti, & morienti hinc Jesus, inde Maria visi assistere. *SURIUS*. Nulla ni miùm tenera Mariano cultui est ætas.

B. Hermanne quam in specialem amoris testificationem in sponsum delegit, Josephumq; dici voluit Deipara, ora pro me, ut & ego Joseph, id est, crescens, sim in operibus bonis, ut in Jesu & Mariæ amore semper proficere laborem, usque ad perfectum diem. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, &c. f. 2.

Ad quod impetrandum, si quam abjectam Deiparæ iconem reperero, eam honestiori loco reponam, ac, ut potero, venerabor.

Sis devotus servus Filii, servitutem fideliter appete Genitricis: sic nempe refertur ad Dominum, quod servit ancillæ: sic redundat ad Filium, quod impenditur Matri: sic transit honor in Regem, qui defertur in famulatum Reginae. *Ideph. de Virg. B. V. c. 2.*

Quæritio: an per Deiparæ cultum aliquid Deo derogetur? v. *Vega in Theol. Mar.*



S. Wieterpus Ep. Augustæ post cor Mariæ oblatum etiam fundum ædificando ejus templo donavit, ibidem sepultus, quem, cum Henricus Antistes aliò transferre voluisset, in vanum laboravit, cum vel Maria Wieterpura suum nollet dimittere, vel Wieterpus ab illa recedere. *Fasti Mar.* Ubi Filio posset esse melius, quàm apud Matrem.

S. Wieterpe vide animi mei levitatem, & post tot seriò Deo, ejusq; Matri placendi desideria inconstantiam; ora pro me, ut sicut Virgo, quos semel in clientes assumit, non deserit, nisi deserta, ita ego eidem adhæream, ut nulla me inde vel vitæ pericula, vel mortis terriculamenta separent, sed illi & in, & post vitam perpetuò affigam Sacramento. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, &c. fol. 2.

Ad quod impetrandum: O si quid ejus honori propagando donare possim! illud statuo hodie, me nihil negaturum ei, qui Mariæ nomine aliquid prudenter à me petierit, quod in mea sit potestate.

An non mons sublimis Maria, quæ, ut ad conceptionem æterni verbi pertingeret, meritorem verticem supra omnes Angelorum choros usq; ad solium Deitatis evehit. *S. Greg. in 1. Reg. c. 1.*

Quæstio: An Deipara Virginitate, an humilitate plus Deo placuerit?



B. Guilielmus è montis Pessulani Dynasta Cisterciensis Monachus, quantum in vita Mariam dilexerit, post mortem patuit, dum ejus cadavere in sepulchrum illato lilium pulcherrimum ex ore progerminavit, cujus foliis inscriptæ aureis literis legebantur voces: Ave Maria. *Men. Cisterc.* Ex omnibus floribus orbis charissima Mariæ sunt lilia.

B. Guilielme adjuva conatus meos, ut lingua mea, prætextati sermonis ignara tot inani loquia suppleat, iisque omissis, quæ spiritum reproficere possent, laudes omni die dicat Marianas, & ultimus loquentis conatus fit dicere: Jesu, Maria, Joseph. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Linguam obsequis Marianis hodie dicabo, & Sanctum nomen linguâ terræ inarabo.

Deus suâ potentia parando cuncta Pater est ac Dominus omnium: nonne Beata Dei Genitrix suis meritis cuncta reparando, Mater est, ac Domina rerum? *S. Aug. 10. 10. ser. 35. de Nat.*

Quæstio: An unam Dei param, plus amet Deus, quam omnes Sanctos, & Angelos inclusive? *v. Suar. 3. p. tr. 2. d. 18. sec. 4.*



S. Fulbertus Ep. Carnutensis librum de dignitate Virginis edidit, cum æger linguâ vi caloris arefactâ loqui non posset, adfuit afflicto Deip. Cælitibus comitata, jussuque os aperire, expressum è virgineis uberibus lac in os derivavit, ex quo D lingua ad officium, & æger ad sanitatem rediit. *Nad. an. Cæl.* Desipit, cui præ hoc lacte aliquid sapit.

S. Fulberte gratulor felicitati tuæ, quibus ut me longè indignissimum agnosco delictis, ita supplex oro, ut illud apud Deiparam precibus tuis efficias, ut ejus ope ab omnibus animæ morbis liberer, ac, si me lactaverint peccatores, non aquiescam iis, sed illibatâ conscientiâ ad terram lacte & melle manantem merear pervenire. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: cum Augustino Confalonero, qui nullum diem sabbathi per 40. annos sine vitæ Marianæ meditatione intermisit, de ejus virtutibus aliquid hodie meditabor.

Oportebat Dei Matrem ea, quæ Filii erant, possidere, atq; ab omnibus rebus conditis, ut Dei Matrem adorari. *Damasc. or. 2. de Ass.*

Quæstio. Quæ major gloria, an quam Filius participat à Parente, an quàm hic à Filio? *Sylveiri. l. 1. c. 3. b. 3.*



S. Leo Magnus in veneratione Mariæ nominis mensuram exæquare conatus, cum Ecclesiam à Nestorianis juratis Mariani nominis hostibus premi sentiret, totum se ad ejus gloriam latissimè propagandam accinxit, utq; conatus ad plures perveniret, rem etiam apud diffitos per epistolas egit. *Nad. an Cæl.* Etiam calamo non pauci hostes sternuntur.

Da mihi vires Magne S. Leo, ut in defendendo Mariæ honore semper leonino sim spiritu, qui ad nullius paveam occursum, malimq; semper, quod nunc toto pectore statuo, tuendæ ejus gloriæ victima cadere, quàm cedere. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibili-  
lium &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Proximâ, quam scripturus sum, epistolâ aliquid Mariæ honori deserviens, si opportunè fieri possit, inspergere conabor.

Suavis & decora est Mater pulchræ dilectionis, quod ex ejus visitatione discunt animæ plurimæ, sed & terribilis est Dæmonibus, hæreticis & impiis. *S. Rupert. in cant. 6.*

Quæstio: An pulchritudo formæ Virginalis unquam in Deipara defecerit per ætatem?  
*v. Raynaud. in Dipt. Mar. pu. 2.*



**B.** Petrus cor suum Divini & Mariani Amoris habitaculum esse non contentus, Deiparæ, ut à pluribus coleretur, templum ædificare constituit, néve diu de loco dubitaret, è cœlo monitus tabulam reperit aureis notis in hæc verba signatam: Ave Maria. *Nad.* Omnes amamus aliquid, cur non Matrem?

Per tuas **B.** Petre manus cor meum velut tabulam rudem Mariæ dedico, inscribat illa, quod vult in tempore, & in æternitate; ad omnia me resigno & offero, solùm à peccato illud custodiat, alia omnia dulcia vel amara, læta vel tristia libens de ejus manu suscipiam. Utinam Sanctissimi sui amoris ei. leges inscribat! O Sanctissima DEI, & mea, Mater preciosissima! ego *N.* indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies, &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum: Cum hodierno **P.** Petro Anasco *S. J.* quoties scholam, studia, aut alia officii mei negotia adibo, illa per Deiparam in templo, vel corporaliter, vel mentaliter salutatam auspiciabor.

Tua sanè ò Sanctissima Virgo laus omnem prorsus laudem excedit; Tibi omnis creatura in cœlis, ac terris, & apud inferos reverentiam, ac cultum convenientem offert. *S. Greg. Nunc. or. 2. de Ann.*

Quæstio: An Deipara Sacramentum legis naturæ suscepit? *v. Vega Theol. Mar. pal. 20.*



B. Margarita de Castro contemplatione con-  
tinuâ Jesu, Mariæ, ac Josephi delectabatur,  
quorum amorem quàm altè cordi inscripsit,  
in morte apparuit, dum in ejus corde tres la-  
pilli Jesu, Mariæ, & Josephi imaginem ele-  
ganter exhibentes sunt reperti. *Ex Bulla Beati-  
fic.* Ubi thesaurus tuus, ibi & cor tuum.

B. Margarita in prime cordi meo, si non ico-  
nes, certè lincerum erga Jesum, Mariam, &  
Josephum affectum, ut horum honori vivam, ho-  
rum amore moriar, nesciat cor meum ama-  
re, non sciat mens tunc aliud cogitare, nec  
lingua eloqui, nisi ex abundantia cordis Je-  
sum, Mariam, & Josephum. O sanctissima DEI, &  
mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus  
filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam cor-  
poris, quàm animæ viribus centies millies,  
imò infinities te saluto: te omni possibili om-  
ni impossibilium & actualium creaturarum,  
&c. fol. 2.

Ad quod impetrandum: Calamum proba-  
turus sanctissima hæc nomina Jesu, Mariæ Jo-  
sephi exarabo.

Quid dicam, & quid proloquar de Virgine,  
quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem,  
solo enim Deo excepto, cunctis superior ex-  
istit. *S. Epiph. or. de laud. Virg.*

Quæstio: An Christus conceptus, & forma-  
tus fuerit ex sanguine cordis Mariani? *v. Pel-  
bar. in stellar. l. 1. p. 4. ar. 7. c. 1.*



S. Lydvina adhuc balbutiens prima verba in Ave Maria formare gestiebat, ubi firmare gressum didicit, ab Angelo ad salutandam B. V. iconem ducta, eam indies, quamdiu licuit, adibat, post gravem 38. annorum infirmitatem morienti adstitere Jesus & Maria, egressamq; corpore animam suos hæc recepit in amplexus. *Ex vita.* Non nisi qui patitur, tali solatio potitur.

S. Lydvina doce me in morbis patientiam: cæcus ego propria in causa sum Judex, num sanitas an infirmitas animæ plus conducat, ignoro: impetra, ut in Divinam voluntatem resignatus, amore Jesu, ejusq; Matris Dolorosæ omnes morborum, & mortis cruciatus libens perferam. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibûsq; tam corporis, quàm animæ viribus &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: cum hodierno P. Barradio S. J. omnes Deiparæ imagines promiscuè, attritas & nitidas, bene juxta ac malè pietas, veteres ac novas, honorabo.

O B. Maria, quis tibi dignè valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perditio? *S. Aug. ser. 18. de Nat.*

Quæstio: Utrum B. V. in vivis aliquando corpus Christi gloriosum viderit? etiam ante hujus resurrectionem? *v. Novar. in umb. V. Exerc. 110. n. 108.*



B. Petrus Conzalez Ord. Præd. & Mariæ filius, dum superbè per urbem inequitans ab equo in lutum dejectus fuisset, hæc confusione ad meliorem vitam surrexit, Religionem ingressus, à muliere ad scelus sollicitatus accensâ lignorum strue, pallioq; desuper injecto illæsus decubuit, ac scortum invitavit, quæ rei novitate attonita, resipuit. *Boll.* Satiùs est elementaribus, quàm impuris flammis ardere.

O B. Petre imprime menti meæ stabilem illum peccati omnis horrorem, ut non ignes modò, sed & omnia tormenta inferni pati præeligam, quàm peccare; Impetra mihi hanc à Deipara gratiam, ut priùs atrocissimâ quâlibet morte occumbam, quàm gravi peccato conscientiam contaminem. O sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, &c. *sol. 2.*

Ad quod impetrandum: Hodierni Cæsaris Buzæi, qui vigesies millies rosarium pro beata morte dixit, exemplo rosariolum, 12. stellarum circa caput Deiparæ radiantium numero totidem Ave Maria constans, recitabo.

Certè Domina, cum te aspicio, nihil nisi misericordiam cerno, nam pro miseris Mater Dei facta es. *S. Bern. ser. 2. sup. Salv. Reg.*

Quæstio: An gratia Prophetiæ fuerit in Deipara, & num aliqua futura prædixerit? *v. Raynan. in Marial. p. 2. pu. 8.*



B. JOACHIMUS ab annis pueritiæ ter in die Matrem salutare, sabbathum in pane & aqua exigere consuevit. Quater Deiparæ aspectu recreatus, ab eadem, ut ordinem Servorum suorum mysteriis dolorosæ Matris (cujus festum hodie Cisterciensibus celebre est) additorum, ingrederetur paruit, & dum festo Virginis Assumptæ Sacro assisteret, mortuus corruit, cereo, quem ad elevationem hostiæ manu tenebat, in aëre suspenso. *Hist. Ord.* Sic luceat lux vestra, O Mariophili! usq; ad mortem.

Accende cor meum B. JOACHIMÆ, Mariæ servorum numero me jam pridem addixi, tu primos conceptæ in eam pietatis igniculos fove, ut ii nunquam intepeſcant, sed quotidiano augmento luceant omnibus, qui in domo sunt Mariæ. O sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus &c. fol. 2.

Ad quod impetrandum: commiseratione hodie erga Virginem Dolorosam afficiar, ex consideratione dolorum, quos ex filii passione pertulit.

Ad te pro dignitate laudandam omnis inops est lingua; etiam animus excelsior mundo in hac laude vertiginem sentit O Deipara. *Sanus Jo. Damasc.*

Quæstio: An latro salvatus aliquid Deiparæ sub cruce stanti debeat? v. *Raynau. in Dip. Mar. p. 1. p. 9.*



die  
& a-  
spe-  
rū,  
s fe-  
ddi-  
Vir-  
cor-  
anu  
ceat  
ariz  
, tu  
ulos  
ori-  
do-  
nea,  
mus  
one  
ex  
tio-  
in-  
ndo  
San-  
ipa-  
Dip.  
PRI-

S. Stephanus primus Abbas Cisterciensis, qui regulas à se conditas *chartam charitatis* appellavit, cum suis religiosis laborans videntibus omnibus à Sanctissima Dei Matre candidissimâ Zonâ balthei locò præcinctus est, nec hic Marianus in eum favor substitit, eidem enim oranti mortis & felicitatis adeundæ tempus prædixit. *Nad.* Qui laborem renuit, mercedem recusat.

S. Stephane qui orationi te accincturus curas mente exesse, & tantisper, donec ad negotia redires, quiescere iussisti, doce me orare, doce laborare, utrumque amore Jesu & Mariæ, ut, ubi vitæ vesper advenerit, denarium laborantibus promissum merear obtinere.. O sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: cum B. Hermanno O. P. quotidie in venerationem cordis Mariani salutationem Angelicam dicente, cor hodie Marianum, idq; ex amoris vehementia dolore summo affectum, pari salutatione colam.

Sanctissima puritas piissimi cordis Mariani omnem omnis creaturæ puritatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditæ orbis benignissime fieret. S. August. de excell. V. c. 9.

Quæstio: B. V. stans sub cruce num ad dexteram, an sinistram steterit? v. Vanhorn in Marial. f. 46.



S. Theodorus consuetæ pietati vacans Christum, & Deiparam sibi præsentem in templo videre promeruit, ab hac ad sanctiorem militiam invitatus, paruit; venenum malevolorum odio ad eum vitâ exturbandum præparatum Deiparæ gratiâ innoxium accepit. *Ex vitâ.* Heu quoties sub melle venena latent.

S. Theodore ora pro me, ut suavia mundi, carnis & Dæmonis venena fraudulento melle condita, quæ suaviter quidem influunt, sed in fine mordent ut coluber, omni angue pejus vitem, verum inspirationibus Divinis cordocile præbeam, ut eò post mortem perveniam, quò multi quidem sunt vocati, pauci verò electi. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: In Marianorum 7. dolorum memoriam totidem hodie salutationes Angelicas dicam.

Elevata est magnificentia tua super cælos, & super omnem terram gloria tua, ita ut nec in cælo inveniatur creatura, quæ tuam dignè laudare queat magnificentiam, nec in terra. *S. Bern. sup. Salve Reg.*

Quæstio: An B. V. in Filii passione fleverit? *v. Schvvertfer de Dolor. B. V. c. 4.*



S. Wernherus, M parvulus dum à Judæis, ex  
ejus illâ die communicantis ore hostiam  
eximere desiderantibus, occideretur, Dei ac  
ejus Matris opem invocavit, & reperit: dum  
enim corpus ejus, ne scelus tam inhumanum  
pateret, in reconditam specum abjiceretur,  
lumine cœlesti circumfusum est, sic illud &  
ejus ficarii proditi sunt. *Boll.* Nihil tam occul-  
tum in cultu Mariano, quod non aliquando  
reveletur ad gloriam.

S. Wernhere Martyr fortissime, qui quar-  
to super decimum ætatis anno tam fortiter Ju-  
dæorum insultus tulisti, ora pro me, ut in om-  
nibus adversis, angustiis, & necessitatibus meis,  
seu corporis, seu animæ, Dei misericordis, &  
dilectæ ejus Matris auxilium implorem &  
obtineam. O Sanctissima Dei, & mea, Mater  
pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus  
toto corde, omnibusque tam &c f. 2.

Ad quod impetrandum: De Marianis lau-  
dibus aliquid hodie pio è libello legere cona-  
bor, maximè de ejusdem, si fieri possit, dolo-  
ribus.

Si cuncta mei corporis membra, & omnes  
guttæ vitalis sanguinis mei verterentur in lin-  
guas, potiùs tamen mihi laudis tuæ verba de-  
ficerent, quàm exempla. *Cantipr. l. 2. apu. c. 29.*

Quæstio: An solum in anima, an etiam in  
corpore passa fuerit Deipara? v. *Vega Theol.*  
*MARIANA.*



S. Agnes Politiana Virgo, ab infantia paternæ domus angulos quærebat, ut attentius Dei Matrem coleret, triennis salutationem Angelicam è memoria recitabat, novennis monasterium ingressa, quinque super decem annos in pane & aqua jejunavit; ubi lupanar steterat, Dei Matri templum erexit; Jesulum ei Deipara in sinum dedit, morienti Angeli adstitere, & ad cælum deduxere. *Hist. Ord.* Ibi virginum Patria est.

S. Virgo Agnes post quindecim annorum in pane & aqua jejunium, à Dæmonibus in corvorum figura præsentibus frustra tentata, magno cum solatio fati defuncta, memor esto mei, de mortis hora, & momento adhuc incerti, & hanc apud Deiparam gratiam impetra, ut Angelorum, & eorum Reginae cultui addictus vivam, & in agone constitutus eorum refici solatiis merear. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quam animæ &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: cum hodierno P. Cusano S. J. litanias de B. V. in domibus ab omnibus domesticis recitandas, ubi occasio feret, proximè suadebo.

Sola cogitatio Dei Matris me rapit, quid ejus præsentia faciet? *B. Petr. Dam.*

Quæstio: Num Deipara desiderarit citius mori, ne videret Filii passionem? *v. Sverfser de B. V. Dolorosa c. 3.*



S. Anselmus Archiep. Cantuariensis sui in Mariam affectis testimonium scriptis in ejus laudem plurimis reliquit, ejus honorum virginitatem suam devovit, eidem colendæ templa condidit & Monasteria. Noctu in profundam cisternam lapsus illæsum Deipara præservavit; utque festum Conceptionis suæ maculâ carentis celebraret, præcepit. *Ex vita.* Angelis hæc Regina mandat, de Clientibus suis, ut custodiant eos in omnibus viis.

S. Anselme! etiamnum orbis mille tam corporis, quàm animæ periculis, heu nimirum quàm multis! plenus est, impetra precibus tuis à Maria, ut Dux mihi esse velit, quæ errantem in hoc labyrintho animam tot præcipitiis expositam felici morte evolvat. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, unò infinities te saluto: &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Icones Mariophilorum, & Deiparæ sanguine junctorum specialitè colam.

Cui datum est dulci studio sæpe cogitare de B. Virgine Maria, magnum is promerendæ salutis habet indicium. *S. Ans. c. 4. de exc. V.*

Quæstio: Quando cultus & celebritas Immaculatæ Conceptionis inchoaverit? *v. Balingh. 8. Dece.*



S. Opportuna V. à teneris ad Dei, ac Sanctissimæ ejus Matris obsequium properavit, Cœnobium ingredientem Angelus est comitatus, ubi post vitam austerè, ac inter complura jejunia peractam morienti Deipara adfuit, ad cujus amplexus brachia exporrigens in hoc sancto conata expiravit. *Nad.* In manibus tuis meæ quoque sortes sint. *ô Maria.*

S. Opportuna V. ora pro me Deiparam, ut manu ductrix mea esse ad cœlum dignetur: Virgineis illius manibus corpus, animam, facultates, me, meaque omnia ex integro do, dedico, consecroque, perire non potest, quod Mariæ manibus committitur. *O Sanctissima Dei, &c. f. 2.*

Ad quod impetrandum: Cum P. Colnago S. J. cujus pectori admotâ manu, ut in salutem animarum incumbere pergeret, suavit Deipara, opportunitatem hodie quæram, aliquod pro salute animarum agendi, ut plures sint in cœlo, qui Deum, & Deiparam æternùm laudent.

Ut corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem, ita & SS. nomen tuum *ô Beatissima V. vitæ, lætitiæ, & auxilii non solum est signum, sed eam etiam procurat.* S. *Germ. Patr. de Zona V.*

Quæstio: Cur Christus in cruce Deiparam Joanni commendans Mulierem, non Matrem dixerit? *v. Marc. Veger. Card. in Decachord.*



B. Ægidius S. Francisci Discipulus exultabat præ gaudio, dum intelligebat, à simplicibus & indoctis æquè ac à Doctoribus posse Deum, Deiparam & Cœlites amari. Ut de Mariæ Virginitate dubitantes confunderet, ter baculo terram quatiens, ter dicebat: Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum, & illico tria lilia enata sunt. *Hist. Ord.* Nobis terra spinas & tribulos germinat, Mariæ lilia.

B. Ægidi purissimæ Virginis defensor ora pro me, ut in sancta simplicitate cordis, ac profunda humilitate Deo serviam, malimq; amare Deum, & Virginem cum simplicitate, quàm scientiâ inflari & evanescere. O Sanctissima Dei, & mea, mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, inò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium, &c. f. 2

Ad quod impetrandum: Non displicebit Deiparæ, si eadem Ægidii verba repetiero hodie frequentius, aut alios docuero.

Maria est illa mulier, cujus omnia vasa divinitus facta sunt plena oleo: est illa vidua, cujus lacrymis rediit ad vitam unicus Matris suæ. v. *Bern. de sig. mag. c. 7.*

Quæstio: An Christus Deiparæ post resurrectionem primâ vice apparuerit? v. *Cornelium à Lapide.*



S. Bona V. vix rationis compos inter primas curas, quomodo Deo, & ejus Matri placere posset, reponerat; adfuit septenni Christus, & quomodo se ad somnum componere, quâ Sanctissimam suam Matrem amare deberet, Magister cœlestis edocuit. Quàm capax hæc discipula fuerit, patuit, dum ei oranti Deipara comparuit. *Ex vita.* Primus discendi ardor nobilitas est magistri.

O S. Bona risum inter & cantum dulcissime mortua, optimam apud Christum pro me Patronam age, ut ejus dictamina, & sanctam voluntatem ita cognoscam, ut ex iis Deiparam plus semper & amplius omni possibili omnium creaturarum affectu amare, & ad somni fratrem, mortem, cum animi lætitia ritè me componere docilis discipulus maturè discam.  
O Sanctissima &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Non priùs hodie ad somnum concedam, quàm me velut agonizans Matri morientium commendem, & Patris Drusbiczki exemplo sensus spirituali extremitate unctiōe muniam, dicens: indulgeat mihi Dominus, per Matris suæ intercessionem, quidquid oculis hodie deliqui &c.

Idcirco Domine Virginem de præsentis sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat. *S. Petr. Dam. ser. de Nat. V.*

Quæstio: An pulchritudo Deiparæ poterit alicui esse illicitum ad illicita? *v. Raynau in Marial. p. 1. pu. 2.*



S. Marcus Evangelista sæpe Deiparæ collo-  
 catus multa ex ea didicit, quæ in Evangelium  
 retulit; hæc enim omnia noscebat, quæ ad  
 filium spectabant. A fidei Christianæ hostibus  
 ad mortem quæsitus, nomen cælo infertum  
 legit. *Niceph. l. 2. c. 43.* Plus eos amat cælum,  
 quos amplius odit mundus.

S. Marce Divinæ legis fidelissime interpres,  
 docilem mihi à Deipara mentem obtine, ut vi-  
 vâ fide credam, quidquid per scripturam cre-  
 dendum proposuit Deus, & ita illa audiam, ut  
 conservem omnia in corde meo; nunc pro su-  
 premo agone credo firmissimè, quidquid Deus  
 revelavit: O Sanctissima Dei, & mea, Mater pre-  
 tiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex  
 toto corde, omnibusque tam corporis, quàm  
 animæ viribus centiesmillies, imò infinities te  
 saluto: te omni possibili omnium possibilium  
 &c. fol 2.

Ad quod impetrandum: Cum Francisco Va-  
 lentiæ Beneficiato ter ad pulsum salutationis  
 Angelicæ votum Marianum renovante, toties  
 ego hodie propositum Mariam amandi re-  
 novabo.

Nunquid quia ita Deificata, nostræ huma-  
 nitatis oblita es ô Deipara? nequaquam ô Do-  
 mina convenit tantæ misericordiæ tantam  
 miseriam oblivisci. *S. Petr. Dam. ser. 1. de Nat. V.*

Quæstio: An Apostoli cum Evangelio etiam  
 Mariæ cultum per orbem promulgaverint? v.  
*Canis. l. de Deip. c. 22.*



**B.** Aldobrandesca Vidua Dominicis diebus, ut à laboribus magis vacabat, ita specialius Deiparam colere solebat; cujus conspectu frui ut ardentissime desiderabat, ita obtinuit, dum eam coram se spectabilem, & tabulam manu præferentem cui inscriptum legabatur: *Matris legem observate Filii*, vidit. *In vita.* Probatio dilectionis, exhibitio est operis.

**B.** Aldobrandesca intercede pro me, ut quem verborum affectum in Deiparam jacto, etiam opere contester, ut quæ illa se diligentibus promisit solatia, nunc & semper, sed in hora hortis maximè ipso opere experiar. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego **N.** indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Cum **B.** Margaritha è Servitarum Ordine aliquam detritam, fractam, aut desertam Deip. imaginem reficere, purgare, & nitori restituere conabor.

Egregia igitur Maria, quæ signum sacræ Virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium vexillum levavit. *S. Ambr. l. de inf. Virg. c. 5.*

Quæstio: Quâ ætate Deipara Christum concepit? *v. Raynau. in Mar. p. 1. p. 5.*



B. Jacobus Bithyniensis Ord. Min. maximum, quo in Deiparam ferebatur, affectum nec verbis, nec cogitationibus assequi aut exprimere valens, rosario ejusdem volvendo totus addictus erat, noctibus singulis Matri suæ honori corpus flagellabat; de die coquinam pro Fratribus exercens. Quibus binis orationis, & mortificationis alis felici morte ad Matrem filius evolavit. *Boll.* Corpus attritum levius in cælum evolat.

B. Jacobe, qui affectum in Mariam etiam sanguine flagellis excito testatus es, illam animi constantiam ab illa mihi impetra, ut corporis, quod aggravat animam, & carnis, quæ concupiscit adversus spiritum, inimicus ita illam tractem, ne ejus causâ anima aliquando patiatur. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibili-  
lium &c. *sol. 2.*

Ad quod impetrandum: Totum corpus eî donabo: oculos lacrymando, aures laudes ejus audiendo, linguam laudando, pectus amando, memoriam de ea cogitando &c.

Nullus in terris locus dignior uteri Virginalis templo. *S. Bern. ser. 1. de Ass.*

Quæstio: Si Deus non esset factus homo, utrum Maria producta fuisset? *v. Vega pal. ser. 1.*



**S.** Sita V. ancilla, Mariæ cultrix eximia, cuius eleemosynas miraculis probavit cœlum, dum panem in flores vertit : Noctu à templo reduci Deipara se comitem junxit, & urbis portas aperuit. Ejus cadaver post 326. annos mansit incorruptum, quod Virginitate videtur meruisse, dum proci minus pudici vultum unguibus notavit. *Nad.* Tali hosti nec ungue cedendum.

O gloriosa Virgo ora pro me Deiparam, ut quæ tibi viventi urbis portas aperuit, eadem cœli janua mihi morienti cœli portam aperiat, ut quam pauci inveniunt, ejus adjutus meritis feliciter ingrediar. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies, millies, imò infinities te saluto : te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum : Nihil à Deo mihi petam hodie aliud, quam quod pro me Deipara, salutis meæ provida tutrix, petierit.

Amplectamur Mariæ vestigia Fratres mei, & devotissimâ supplicatione beatis illius pedibus provolvamur, teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis. *D. Bern. ser. de verbis Apoc.*

Quæstio : An laureola Martyrii B. V. tribuenda? *v. Raynaud. p. 2. pu. 10.*



§ Petrus M. Ord. Præd. contra fidem à Dæ-  
mone tentatus, coram imagine Deiparæ  
prostratus constantiam petiit, & hanc ex ico-  
ne, imò è cælo, vocem audiit. *Rogavi pro te  
Petre, ut non deficiat fides tua.* Factum: nam vi-  
ra prius gladio extorta, quàm fides Petrum  
defecit, visus post mortem Mariæ lateri affi-  
stere. *Nad. an Cæl.* Facile est tentari, ubi talis  
Mater est, quæ juvat.

Si Petre tuo me commendo patrocinio, quam  
tu olim in fidei tentationibus protectricem  
habuisti, eandem mihi contra periculosissimos  
in agone tentationum assultus patronam exo-  
ra Virginem, ora pro me, ut oret illa pro me,  
ne vel fides, vel spes, vel charitas mea in Deum  
& Deiparam unquam deficiat. O Sanctissima  
Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N.  
indignissimus filius tuus ex toto corde, omni-  
busquetam corporis, quàm animæ &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: in tentationibus  
Deiparæ auxilium implorare assuescam.

Cùm eadem sit potestas, & communis Ma-  
tris & Filii, quæ ab omnipotente Filio omni-  
potens est effecta, quia non est potestas nisi in  
Deo: unde dicit cum Filio: *Data est mihi  
omnis potestas in cælo, & in terra. Rich. à S.  
Laur. l. 4. de laud. V.*

Quæstio: An ut Christus, ita etiam Deipara  
aliquando à Dæmone tentata fuerit? *v. Vega  
Theol. Mar.*



S. Catharina Senensis adhuc septennis Deo Virginitatem vovit ; lilium ardens nec combustum sibi è cœlo ostendi vidit. Eam ob levem culpam acerrimè aliquando Deipara reprehendit: aliàs panes pinsenti spectabilis & adiutrix adfuit, per singulos scalæ, quas ascendebat, gradus Ave Maria recitabat. *Nad.* His scalis ad apicem sanctitatis pervenitur.

Ora pro me S. Catharina, cui Christus, suo subrogato, cor abstulit ut & ego cor meum, excluso omni inordinato affectu, Deo & Mariæ ita gratum reddam, ut minores etiam ad speciem culpas, quæ magnum in agone dolorem creant; vitare studeam. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima ! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum : Exemplo D. hujus Catharinæ hodie, saltem semel, gradus ascendendo, ad horum numerum, Ave Maria geminabo.

Sicut Deus suâ potentiâ parando cuncta Pater & Deus est omnium, ita B. Dei Genitrix Maria suis meritis cuncta reparando Mater est, & Domina rerum. S. *Anselmus l. de exc. V. c. 11.*

Quæstio : An possit Dei Matre excellentior creatura produci? v. S. *Tbo. 1. p. 9. 25. art. 6. ad. 4.*

I. M. A.



B. Peregrinus adhuc de ineundo vitæ statu dubius Deiparam, quam ut salutis suæ curatricem semper amaverat, consuluit : à qua ille ad Religiosum statum invitatus, & ab Angelo comitante deductus, dum ingrederetur toto capite cœlesti lumine circumfusus apparuit. *Nad. an Cœl.* Amat suos in tuto locare Maria.

O B. Peregrine qui jam beatitudinis æternæ patriam attigisti, respice nos misellos, qui adhuc in hac lacrymarum valle peregrinamur à Domino ; ora pro nobis, ne per viam hanc tot periculis obnoxiam incidamus in latrones, qui salutis nostræ insidiantur. Illa nobis sit dux, quæ nunquam aberravit à semita justitiæ. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima, ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quàm animæ viribus, centies millies imò infinities &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum : Si quæ mihi occurrent dubia, illa chartæ annotata coram imagine Deiparæ deponam, consilium expectaturus.

Facta est Maria fenestra cœli, quia per ipsam verum infudit sæculis lumen, & per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines mererentur ascendere ad cœlos. *S. Aug.*

Quæstio: Utrum solius Deiparæ preces sint efficaciores, quàm omnium Angelorum & Sanctorum? *v. Suar. to. 2. in 4. d. 23. f. 2.*



S. Antoninus Mariani honoris defensor hæreticum in Eam blasphemum igni comburendum adjudicavit. Adfuit morienti spectabilis Virgo, quam ille sequentibus salutans: Sancta & Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam? nescio, expiravit: *Nad.* Etiam qui immortalia gesserunt, morti sunt obnoxii.

O S. Antonine affectuum tuorum, quibus in Mariam ardebas, partem mecum divide, ut licet ejus laudes nulla lingua dignè celebrare possit, coner tamen; quantum vires meæ possunt eas extollere. Quod uti nunc inchoo, ita utinam non finiam in æternum O Sanctissima Dei, & mea, Mater preciosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: pium cum Mariophilorum aliquo certamen inibo, quis excellentiori elogio Mariam compellare possit.

Omnium Sanctorum, quos per spiritualem gratiam mediante Virgine regeneravit Deus, dicitur Mater ipsa Virgo, imò etiam Angelorum dicitur Mater, quia ipsâ mediante eorum restaurata est ruina. *B. Albert. M. tra. sup. mis.*

Quæstio: An præstet Mariæ laudes propriis intermittere, quam eas non dignè commendare?



B. Joanna à Cruce adhuc tenera ope Deipara à morte præservatâ vitam ejus amorî impendit. Ut matrimonium, ad quod invitabatur, evitaret, in vestitu virili fugit, post multa in crucis honorem patienter tolerata iteratò spectabitur eidem B. V. solatium attulit. *Barri ex vita.* Etiam in Domo Mariæ dulcia, primùm post amara, gustantur.

O B. Joanna ora pro me, ut in omnibus, quæ animæ noxia esse possunt, à Deipara merear confortari: vires meæ non nisi ad iniquitatem sunt pronæ, sed ejus auxilio animatæ hostium insidiis facilè Superiores evadent. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, placere &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: etiam licitâ voluptate, aut sensualitate abstinerebo.

Fortis est Diabolus, de quo Job: Non est potestas super terram, quæ comparetur ei. Beatissima tamen Virgo fuit illo fortior, quæ illa caput ejus contrivit. *Alb. M. sup. miss.*

Quæstio: Utrum propter Beatissimam Virginem Dei Filius generis humani redemptionem distulerit? *v. Barri an. Mar. c. 25.*



S. Gotthardus Episcopus mortuum Juvenem ad vitam revocatum & expiatum, iterumque ob peccati in mundo pericula mori postulantem, in pace quiescere iussit. Hic prehensâ manu à Deiparâ ad Crucifixum deductus est, ut coram eo errati cujusdam, non gravis, veniam peteret, quam etiam impetravit. *Nad.* Immaculata Mater filios vult immaculatos.

S. Gottharde coge me quoque ad verum peccatorum dolorem, sinceramq; poenitentiam, ut mundo corde Virgini sine macula placere, & ex hac cordis munditie in agone solatium capere possim. Fac me mori celerius, quàm animam peccati sordibus contaminem. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Exemplo B. Rachelis hodiernæ ex Ord. Cisterc. dum amicorum colloquiis vacabunt alii, ego Mariæ colloquar.

Maria candet perpetuâ virginitate, & perfectâ puritate, decoris quoq; suavitate fortem Rhinocerotem inclinat, Deum Majestatis invitat. B. *Amadeus.*

Quæstio: Cùm hodie sit memoria inventionis Jesu duodennis in templo, quæritur? quid B. V. de Filio per triduum amisso cogitaverit? v. *Sylv. l. 2. c. 10. §. 13.* V.



S. Angelus Carmelita hoc nomen à Deipara  
 Matri apparente sortitus, ab eadem Martyr  
 futurus est pronuntiatus. Imaginem à S. Luca  
 pictam è cœlo monitus Romam detulit, &  
 Honorio IV. P. M. obtulit, per quam tot Deus  
 mira patravit. Ab impuro, quem sceleris ar-  
 guerat, vulneratus animam candidæ columbæ  
 specie ad cœlum misit, è Judæis parentibus  
 natus. *Ex Hierarch. Carmel.* Etiam è spinis nas-  
 citur rosa.

S. Angele ora pro me Reginam Angelorum,  
 ut & ego Angelus sim non naturâ, sed gratiâ,  
 non nomine, sed moribus inculpabilis, sed  
 integritate Angelicâ, sed obsequio in Mariam;  
 cujus amore etiam Martyrio vitam finire  
 non recuso. O Sanctissima Dei, & mea Mater  
 pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus  
 ex toto corde, omnibusque tam corporis,  
 quam animæ viribus centies millies, imò infi-  
 nitè te saluto: &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Imaginum Mariana-  
 rum cultum apud alios promoverè laborabo.

Justitia Filii, & misericordia Matris alterca-  
 ri videntur. Nam cum Justitia Filii dicit: ego  
 occidam & percutiam, misericordia Matris  
 respondet: ego vivere faciam & sanabo. *Rich.*  
*à S. Laur. l. 2. de laud. V.*

Quæstio: Ubi Christus pernoctaverit illo  
 triduo? quo à Matre avulsus remansit? *v. Bar-*  
*rad. in Evang.*



S. Joannes Damascenus à primâ ætate Virgini mancipatus, ob ejus imaginum cultum dexteræ amputatione mulctatus, eandem à Deipara integram recepit, quam ille à scribendis Mariæ laudibus nunquam ferari passus est. *Ex vita.* Quàm præclara scripserit tali Manuductrice.

S. Joannes porrige supplicanti manum tuam, ut & manu & viribus omnibus Mariæ honorem, promovere, & quantum occasio ferret, augere possim, ut hoc sancto conatu illud favoris impetrem quo agonizanti mihi adsit, animæq; de corpore egressuræ manum porrigat adjutricem. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: si nihil de Mariæ laudibus scribere possim, quoties nomen ejus hodie scripsero, quàm elegantissimè scribere conabor.

Maria se suppliciter invocantibus favet, iratòque Filio dulcia verba repræsentat, quibus delectatus Filius mansuescit. *Rich. d. S. Laur. de laud. V. l. 2.*

Quæstio: quid fuerit in Deipara majus, an dolor de amisso, an læticia de invento filio?  
*v. Sylv. l. 2. c. 10. quæst. 25.*



S. Albertus Confessor edito à parentibus ad  
Deiparam voto impetratus, Messanam di-  
lectam Dei matri urbem à fame precibus libe-  
beravit, quibus 4. triremes frumenti ab An-  
gelis illatas impetravit; Hunc, cum Mater ad  
nuptias cogere vellet, à Deipara minaciter  
correpta est dicente: Albertus hic meo cultui  
addictus est, & tu eum avocare laboras? *Nad.*  
Quæ Mariæ semel dicata sunt, æternum sint.

S. Alberte ora pro me, & impetra in cultu  
Mariano usq; ad vitæ finem constantiam, cui  
vivere & mori toties proposui, ut nulla me  
tentatio, nullus tepor absterreat. O Sanctissima  
Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum hodierni Alexan-  
dri Luzagi exemplo pro iis precabor Virgi-  
nem, qui alterius opis expertes hodie moriun-  
tur.

Quænam maternæ supplicationi poterit  
comparari? adstat pro nobis supplex à dextris  
Mili vera Regina, quia summi Regis Filia per  
gratiosam adoptionem; quia summi Regis  
Sponsa, per gloriosam assumptionem, adstat ad  
intercedendum contra indignationem Judi-  
cis. *S. Bernard. Senens. to. 1. ser. 52. c. 3.*

Quæstio: An post pulchritudinem Jesu, sit  
aliquid Maria formosius? *v. Medinam l. de fide  
in De. c. 7.*



S. Leontius Abbas ad Mariani altaris pedem stipem deponebat, ut eam Pauperes fortè eò delapsi videntes tollerent; idque eo consilio, ut omnes intelligant non à se stipem offerri, sed à Dei Matre, cui ille operis sic operâ 30. annis commodavit. Bis & in Virginem & in pauperes beneficus. *Ex praxo spirit. c. 63.* Satis nota est pietas, quæ Mariæ innotescit.

O S. Leonti, qui tantam in pauperes misericordiam ostendisti, miserere quòque spiritualis meæ egestatis, quâ virtutum omnium, verique Spiritûs inops ad te clamo, ut mihi stipis locò benedictionem à Virgine impetres benedicta inter mulieres. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: S. Leontium hodie imitaturus, eo ritu aliquid incognitus pauperi erogabo.

O Virgo Sanctissima supernè nos respice, esto propitia, & ad thronum Judicis adductos in exultatione nos colloca, quæ est ad Filii tui dexteram? *S. Basil. or. 39. de Annunc.*

Quæstio: Utrùm B. Virginis cultum & pulchritudinem intuiti, fuerint ad amorem castitatis permoti. v. *S. Bonav. in 3. q. 7.*



S. Battus natione Anglus à S. Barnaba baptizatus, à S. Petro in Episcopum ordinatus, vixit cum Deipara. Cujus defunctæ cultum Helvetis prædicavit, ut, ubi abundavit delictum, superabundaret gratia, idolis Mercurii & Veneris imagines Christi & Mariæ substituit. *Petr. Canis.* Corruptio pessimi optima.

S. Batte, ô quot, quàm absurda in corde meo vivunt idola! quot pravos affectus, tot Deos colo, tu ora pro me, ut eradicatis vitiis omnibus, ad quæ me vel natura, vel Dæmon inclinavit, verum Dei, & Mariæ amorem substituam, utq; ibi meum fixum sit cor, ubi vera sunt gaudia. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum: Fædas imagines persequare, utinam hodie tali, vel saltem prophane Marianam liceat substituere.

O inæstimabilis Dei & Virginis dilectio charitatis, qui ut servum redimerent, communem Filium tradiderunt, propter nimiam charitatem, quâ Deus & Virgo nos miseros peccatores dilexerunt. *S. Bern. Senens. to. 4. serm. 9. c. 4.*

Quæstio: Quâ virtute B. V. conspecta puritatis amorem intuentibus communicaverit?  
*v. Barri an. Mar. c. 43.*



S. Isidorus Agricola nobilissimam sectatus virtutem cum uxore castitatem vovit, & quotidiano, etiam inter ruris labores, Missæ sacrificio se Mariæ dicavit, negligentia apud herum accusatus duos Angelos in locò arantes habuit. *Balingh. in Eph. Mar.* Sic alter alterius Angeli onera subit.

S. Isidore per tuas manus omnem sudorem, quem per cunctos totius vitæ labores effundo, Mariæ offero, & in ejus honorem cedere desidero; id unum efficacissimis, ac possim, suspiriis ingemiscens, ut, dum mortualis sudor vultum occupaverit, illa vultum suum à me non avertat. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinites te saluto: te omni possibili omnium possibilem & actualium creaturarum affectu amare, tibi, usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Servile aliquod in culina, aut domo, obsequium Mariæ honori exercebo.

Potentissimè Virgo protegit servos suos à triplici adversario, mundo scilicet, carne, ac Diabolo, quibus est terribilis, ut castrorum acies ordinata. *Rich. à S. Laur. ser. de laud. V.*

Quæstio: An B. V. etiam non visa, iis, quos ipsa aspexit, puritatis amorem indiderit?



S. Majolis abbas Cluniacensis, cujus opem  
 & poscentes plurimi ab oculorum, aliisque  
 doloribus, à febris, serpentibus, lupis, & Dæ-  
 monibus ipsis liberati sunt. Hic in occurrenti-  
 bus necessitatibus ad Deiparam supplici devo-  
 tione confugiens peregrinabundus ejus ædes  
 adibat: nec suâ spe delusus, utpote qui post  
 preces pecuniam in templo reperit, & aliàs vi-  
 ni plaustrum accepit. *Boll.* Quid non possit  
 Mater Omnipotentis?

S. Majole illumina cæcitatem meam, ut ea  
 quæ pro adeunda feliciter umbra mortis fa-  
 ciunt, clarè nunc videam, ora pro me ad Ma-  
 riam, ut pro materna sua apud Filium poten-  
 tia me gravi peccatorum meorum pondere  
 pressum, & nec audentem oculos in cœlum  
 levare, Christo reconciliet, & perditam ejus  
 gratiam mihi recuperet. O Sanctissima Dei, &  
 mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus  
 filius tuus &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum: Cor ad visitandas  
 Thaumaturgas ejus per orbē icones ablegabo.

Sicut parvulus timens canem fugit ad Ma-  
 trem, sic quicumq; vehementer tentatur, mor-  
 tumque Diaboli pertimescit per orationem ad  
 Matrem pietatis confugiat. *Rich. à S. Laur. l. 2.  
 de laud. V.*

Quæstio: An B. V. secreta cordium, & co-  
 gitationes eorum penetraverit, cum quibus  
 agebat? *v. Veg. in Theol. Mar. pag. 13. cer. 6.*



S. Richtrudis matrimonio juncta, tres, quas genuit, filias in Deiparæ honorem omnes Mariæ nomine insignivit. Marito defuncto Deiparæ amoribus & cultui uberius vacatura, Monasterio se abdedit, quam & filia pari pietate sunt secutæ. *Nad. an. Cæl.* Tantùm in partem utrâmq; Majorum exempla possunt.

S. Richtrudis ora pro me, ut dulce mihi semper sit Mariæ nomen: sit mel in ore, júbilus in corde, ut quoties de illa cogito, gustum sentiam. Illa enim ex Patris omnipotentia, ex Filii sapientia & Spiritûs sancti benignitate est Maria, id est Domina nostra. Utinam ego sim, qualis esse debeo, verus Mariæ servus. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centiesmillies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Præter sancti hujus nominis amorem, amabo etiam eos, qui aliquod è Mariæ familia nomen habent.

Quisque devotus Mariæ servus securè illi potest dicere: Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. In nomine enim Mariæ spernimus motus peccatorum in corde surgentes. *Rich. à S. Laur. l. 2.*

Quæstio: An in toto mundo plures sint Mariæ hostes, an amatores?



S. Joannes Silentarius magnarum opum hæres Mariam hæredem adhuc vivus constituit, eidem templum extruxit, ipse vitam Virgini devotam, eidemque vel ex eo caram vixit, quia virgineam. Nudum se quoad rationis compos vixit, nunquam aspexit. *Fasti Mar.* Sic silendo meruit, ut omnis de illo ætas loqueretur.

S. Silentarie impone ori meo custodiam, & ostium circumstantiæ labiis meis, ne offendā in verba malitiæ. Impetra mihi à Virgine, oculos castos, linguā custoditam; ut ubi oculos clauserit, & linguæ usum mors ademerit, internis affectibus Mariam loquar, & illa pro me apud Divinam misericordiam peroret advocata. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum: Fixum mihi hodie erit certo temporis spatio, honori Deiparæ ne vel verbum extra necessaria loqui.

Maria est solatium eorum, qui affliguntur; est ultio eorum, qui vexantur; est amictus eorum, qui sunt nudi; est firma defensio eorum, qui mane ad eam vigilant, quæ semper suis ulnis fovet Christianos. *S. Theoph. in vita.*

Quæstio: An tacendo Mariam laudare possimus, & ejus cultum promoverere?



S. Bonifacius post vitium carnis generosa  
pœnitentiâ & piâ severitate seridè expiât,  
liberalitati multùm addictus, cùm ex nepotis  
peculio 12. aureos pauperibus erogâset, ac ille  
irasceret, Bonifacius ut eos refundere posset,  
totidem à B. V. accepit. *Fasti Mar.* Nempe fœ-  
neratur Virgini, qui miseretur pauperis.

S. Bonifaci fac bene mecum; & ora, ut libe-  
ralitatem Mariæ experiar. Aurum & divitias  
non appeto, quæ plus obesse, quàm prodesse  
possint; tribuat victui, & statui, & potissimùm  
animæ salutis necessaria, demum felicem ex  
hac vita transitum tribuat, & dives sum satis.  
O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima!  
ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde,  
omnibusque tam corporis, quàm animæ viri-  
bus centies milles, imò infinities te saluto: te  
omni possibili omnium possibilium & ac-  
tualium creaturarum affectu amare, &c. *f. 2.*

Ad quod imperrandum: Præveniam libe-  
rabilitatem Deip. & aliquem ejusdem amore  
hodie juvare conabor.

Qui jacet in nocte culpæ, respiciat lunam,  
deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus  
ad compunctionem illustret. *Innoc. 3. ser. de Ass.*

Quæstio: An in miseris corporalibus, an  
spiritualibus promptius Maria nobis succur-  
rat? R.



S. Cæsarea à matre sterili, sed Deiparæ devo-  
ta, multis ad hanc precibus, & sabbathino  
jejunio impetrata, à Matre fatis proxima pro  
hereditate in Virginem affectum & sabbathi-  
ni jejunii consuetudinem testamento accepit.  
Virginitatis periculum vitatura fugit, & mon-  
stratam ab Angelo Custode in mari specum  
subiit. *Boll.* Tutior est in abdito thesaurus.

S. Cæsarea doce me fugere in illo prælio, ubi  
nulla nisi per fugam victoria. Integritatem  
mentis & corporis statui meo congruam im-  
petra, ut ubi anima è corpore fugerit, Ange-  
lum Ducem habeat, à quo ad perpetuam se-  
curitatem, ad beatorum sedem deducatur.  
O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissi-  
ma! ego N. indignissimus filius tuus ex toto  
corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ  
viribus centies millies, imò infinities te salu-  
to: &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum: Contestando in  
Mariam amori, pauperi, qui ex ejus familia  
nomen habuerit, subveniam.

Est Maria universalis interpellatrix, omnium  
Mater, gallina pullos suos congregans, turris  
David omnes protegens, & refugium in omni  
tribulatione. *Novar. l. 4. umbr. Virg. disc.*

Quæstio: An B. V. videat nostras cogitatio-  
nes, non solum in verbo, sed in opere intelli-  
gibili? *v. Barri. an. Mar. c. 46.*



B. Simon Stock, teneræ suæ in Deiparam devotionis præmium, scapulare accepit, quæ simul singulare erga suos clientes præsidium ostendit, quo eos se protecturam spondit, ut à pœnis purgatorii citiùs liberentur. *Nad.* Cura semper est *Matri* de filiis.

B. Simon doce me veram in Virginem confidentiam, ut in ea totam post Deum spem habeam repositam. Intercede pro me, ut sub suæ protectionis pallio benignè me recipiat, & post felicem ex hac vita transitum in purgatorii flammis, si eò me venire contigerit, benigna Mater consoletur. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibùsque tam corporis, quàm animæ viribus centies, millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, placere & servire desidero, Hoc unum pretiosissimum &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: alicui Virginis Congregationi nomen dabo, aut si jam dedi, formulam votivam renovabo.

Cœlum & terra jam pridem ruisent, si non Maria suis precibus sustentasset. *Fulgēt. in myhol.*

Quæstio: An nomen Mariæ vim peculiarem habeat animas juvandi? *v. Canis. l. 1. de B. V. c. 1.*

XVII. MAJ



S. Paschalis Baylon Ord. Min. quantum Dei-  
paræ amorē habuerit, explicari vix potest.  
Nunquam ejus nomen audiebat, quin religio-  
ne caput inclinaret. Eiusdem imaginem transi-  
ens profunda inclinatione venerabatur; ejus  
patrocinio spiritum Prophetiæ & scientiam  
infusam accepit. Defuncti hujus Mariani cli-  
entis anima visa est curru igneo in cœlum ra-  
pi. *Bollandus*. Talis est Seraphinorum semita.

S. Paschalis te invoco, tu mihi tuam purita-  
tem, humilitatem, charitatem, fervorem, Dei  
cum primis, & Virginis amorem, cæterasque  
virtutes, quibus Deo, & Matri Virgini placui-  
sti, tribuere dignare, ut his omnibus Deum in  
agone placabilem inveniam. O Sanctissima  
Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. in-  
dignissimus filius tuus ex toto corde, omni-  
busque tam corporis, quàm animæ viribus  
centies millies, imò infinities &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum S. Paschalis, adhuc  
Pastoris, exemplo hodie imaginem B. V. sinu  
reconditam mecum gestabo.

Mundus ob nostras pravas actiones nullo  
pacto consistere posset, nisi gloriosa Virgo eum  
suâ misericordiâ & clementiâ pro nobis oran-  
do sustineret. *Galat. l. 7. arcan. c. 2.*

Quæstio: An B. V. sola plus Deum amaverit,  
quàm omnes simul Sancti & Angeli? *v. Barri  
an. Mar. c. 49.*



**B.** Felix Capucinus Filium à Deipara porrectum sinu excepit, ejus pervigilia pane & aquâ contentus transegit, 40. annis pro Fratribus mendicus socio dicebat, ut coronam Deiparæ in manu, oculos in terra, mentem in cælo haberet. Moriens à Deipara ad cælum invitatus. *Ex Kal. Virg.* Plusquam Felix est, quisque Mariam amat.

O B. Felix felicissime ora pro me, ut me egenum & pauperem hanc à se gratiam supplican-tem exaudiat Deipara, ut hic Jesum in SS. Eucharistia sinu cordis pientissimè suscipiam, & post mortem non in sinum Abrahæ, sed in conspectum Jesu & Mariæ anima mea transferatur. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibili-um & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Rosarium Marianum si non palam, certè in sacco mecum hodie exiturus gestabo.

O Maria Christianæ fidei propugnaculum. Per tuas preces arma barbarorum infantium tela ducimus, lanceæque, & galea, & jaculatio inutilia atq; inefficacia manent. *B. Andr. Cret. or. 2. de dormit. V.*

Quæstio: Quæ orationum B. V. acceptissima?  
XIX,



S. Petrus Cœlestinus inter prima infantia  
 S. verba dicebat : Volo esse bonus servus  
 DEI. Cœcus à Deipara recepit oculum, ab  
 eadem & S. Joanne Evangelista visitatus, in  
 literis instructus. Christus è cruce eidem, mo-  
 rum & studiorum instructores Angelos dedit.  
 Pontificatu, quem adeptus erat, se abdicavit.  
*Genoa. ad an. 1296.* Qui deserit humana, cœ-  
 lestia speret solatia.

B. Cœlestine, qui adhuc dum puer te bo-  
 nū DEI servū velle fieri prædicabas, ora pro  
 me, ut verus tam JESU, quàm Mariæ sin-  
 servus : ut honores omnes contemnam, sum-  
 musque mihi super omnes etiam Regios. aut  
 Pōtificios, sit honor JESU & Mariæ servire.  
 O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissi-  
 ma! ego N. indignissimus filius tuus ex toto  
 corde, omnibusque tā corporis, quàm animæ  
 viribus centies millies, imò infinities &c. f 2.

Ad quod impetrandum : Nihil ædificio-  
 rum grandium, apparatus magnifici, aut  
 pompæ sæcularis, si quæ forte occurrere pos-  
 set, contemplanor.

Quis ò MARIA post tuum filium curam  
 gerit generis humani, sicut tu? quis ita nos  
 defendit in nostris afflictionibus, quis in sup-  
 plicationibus ad eò pugnat pro peccatoribus?

*S. Germ. ser. de Zona Vir.*

Quæstio: An anima B. V. perfectior fuerit,  
 primo instanti creationis, quàm anima Ada-  
 mi & Evæ. v. *Suarez. de B. V.*



**S** Bernardinus Senensis, Marianis imaginibus devotissimus, coronam B. V. nudis genibus nixus corde attento recitans eam videre ac audire meruit sic loquentem: Bernardine devote mi famule, multum hæc tua devotio mihi complacuit. Super ejusdem, laudes Deiparæ prædicantis, caput, uti & super defuncti cadaver illustris stella visa est radiare. *Chron. Min.* Filii lucis sunt, qui sunt clientes stellæ Maris MARIÆ.

S. Bernardine qui sola tui præsentia minus castigatos compescuisti sermones, quique adolescenti splendido, sed impuro in æde sacra foeminas oculis venanti, ex vero prædixisti infami cum morte infamem vitam clausurum, arce à corde meo, à lingua & oculis meis, quidquid Deiparæ posset displicere, doce me vicissim, ita MARIAM amare, ut illa in me sibi complaceat. O Sanctissima &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum itineri me non committam, nisi exemplo hodierni Ludovici pii Reg. Gall. iconem Deiparæ sociam itineris mecum accipiam.

Patrocinium tuum ô MARIA majus est, quàm ut intelligentiâ apprehendi possit. Potens est tuum ô Virgo auxilium, & non indiget aliquo alio ad DEUM intercessore. *S. Germ. de Zona Vir.*

Quæstio: An jus Regni Israël legitimâ successione ad B. V. devolutum sit? *v. Vegain Theol. Mar. n. 904.*



**B.** Godricus Eremita quoties animo triste  
aliquid patiebatur, ad Deiparam voce  
in cantum conformatâ confugit pro solatio,  
& verè copiosum accepit, dum MARIAM  
sibi apparentem intueri meruit. Hæc ejus  
afflicti ad Virginem erat precatio: Sancta  
MARIA tuo miserans succurre Godrico. *Ge-  
non. in vita PP.* Nec dies sine nube, nec vita  
transit ulla sine dolore.

**B.** Godrice doce me ita desolationes, quæ  
mihi in hac valle miseriarum accidunt, ferre,  
ut nihil me contristet, nisi quod DEO & MA-  
RIÆ displicet. Huic me commenda in clien-  
tem, ut ubi mortis horror corpus, & immi-  
nentis judicii metus animam concusserit,  
illa mihi fit solatio. O Sanctissima DEI, & mea,  
Mater pretiosissima! ego N. indignissimus fi-  
lius tuus ex toto corde, omnibusque tam cor-  
poris, quam animæ viribus centies millies,  
imò infinities te saluto: te omni possibili o-  
mnium possibilium &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Nudis hodie geni-  
bus, priusquam somnum capiam, Deiparam  
venerabor.

MARIA! cùm maternam habeas apud  
tuum Filium fiduciam, atque potentiam;  
nos tuis interpellationibus ipsi efficis familia-  
res, das salutem, ab æternòque liberas sup-  
plicio. *S. Germ. de Zona Vir.*

Quæstio: An publica cum communi, an  
privata ejusdem devotio MARIÆ plus pla-  
ceat?



**B** Humilitas vidua peccatum in confessione tacenti cordis arcana detexit : nullam nisi Deiparâ prius invocatâ ordiebatur actionem, ad eam in omni necessitate confugere solita. Cui sæpius virgo se visibilem præbuit, utque Jesulo vestem conficeret, præcepit. Aliàs à Spiritu Sancto iussa liberum de laudibus B. V. conscripsit. *Boll.* Utinam omnes ejusdem Spiritûs simus.

B. Humilitas quæ virtutem tibi agnominem præ reliquis coluisti, eam me quoque doce imitari, ut nihil altum sapiens illi placeam, quæ virginitate quidem placuit, sed humilitate concepit, sicque sub Ancillæ Domini protectione moriturus audiam : qui se humiliaverit, exaltabitur. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima ! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto : te omni possibili omnium &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum : Diem hanc sine actu humilitatis, in imitationem Domini Ancillæ exercendo, abire non patiar.

Habes ô Mater in Filium, quæ recusari non potest, fiduciam. Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile, ne immensam tuam clementiam multitudo superet delictorum. *S. Greg. Nicom. or. de præf. Vir.*

Quæstio : Plusne Filius pro Matris, an hæc pro Filii honore sit sollicita ?

XXIII. MAI.



S. Michaël Sinnedæ in Phrygia Episcopus,  
 Hæresim Leonis Isaurici Christi & Dei-  
 paræ imagines convellentis, redarguens in  
 auxilium missus, ibidem post acerba multa  
 torti & imperterrito animo tolerata in ma-  
 nus Dominae suæ, cujus honori ista ferebat,  
 animam dedit. *In vita.* Undique ad cœ-  
 lum via.

S. Michaël respice me in exilio adhuc con-  
 stitutum, nec enim habemus hic manentem  
 civitatem, sed aliam inquirimus, æternam,  
 non manufactam, in cœlis, ardua illuc ducit  
 via, sed ut ea mihi certa sit, *MARIÆ* me  
 commenda, ut illa animam corpore solutam  
 suscipiat, & ad patriam deducat. O San-  
 ctissima *DEI*, & mea, Mater pretiosissima ego  
 indignissimus filius tuus ex toto corde  
 omnibusque tam corporis, quam animæ vi-  
 ribus centies millies, imò infinities te saluto:  
 te omni possibili omnium possibilium & a-  
 ctualium creaturarum affectu amare, tibi  
 usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum  
 possibile erit, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum : Omnes curæ  
 meæ subditos *MARIÆ* dicabo eo affectu, quo  
 illa Filium aliquando æterno Patri obtulit.

Omnipotens *DEUS* sic te ô Virgo exalta-  
 vit, ut omnia tibi secum possible esse do-  
 naverit. *S. Ans. l. de excel. V. c. 12.*

Quæstio : Quod munus *MARIÆ* ab ho-  
 minibus dari possit gratissimum?



**S** Martha S. Simeonis stylitæ, à diuturna super columnam statione gloriosi, cuius hodie memoria agitur, Mater vidit Deiparam duobus Angelis comitatam, quæ paratam Filio in cœlo gloriam ostendit. Hoc præmium erat Matris, quæ filium suum in cultu & amore B. V. educavit. *Bolland.* Ut hic corpore, ita nos mente à terra recedamus.

O S. Simeon ingens patientiæ & mortificationis exemplar, per tot annos in columna tenuisti stationem; impetra mihi terrenorum odium, ut affectu à perituris omnibus nunc abstracto, moriturus tantò faciliùs ab omnibus avelli possim sine dolore. Omnia nunc arbitrer ut stercora, ut Christum lucrifaciam. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, in ò infinities te saluto : te omni possibili omnium possibilem, &c. f. 2.

Ad quod impetrandum : Cur non aliquo tempore privatim uni pedi insistendo *MARIAM* hâc mortificatione celere possim?

Intende ô Domina piissima, ut nobis ad effectum perveniat, propter quod *DEUS* noster ex hoc castissimo utero factus homo inter homines venit. *S. Ans. de excel. V. c. 12.*

Quæstio: utrùm tres *SSS.* Trinitatis Personæ æqualiter Deiparam amaverint? v *Barri ep. Mar. l. 2. c. 4.*



S. Magdalena de Pazis mysterio Annuncia-  
tionis Sacræ B. V. maximè addicta vixit:  
ejusdem cordi S. Augustinus aureis literis  
inscripsit: *Verbum caro factum est.* Inhone-  
stis cogitationibus tentata ad Virg. recurrit,  
in qua candido velo operta à carnis stimulo  
immunitatem accepit, & à DEO Patre audi-  
vit Deiparam ejus futuram custodem. *Ex  
vita.* O præclaram custodem, sed ovium  
tantum.

S. Magdalena! quæ à B. V. examen conscien-  
tiæ facere docta es, ora pro me, ut præ omni-  
bus maximam conscientiaæ meæ rationem  
habeam, hanc sæpius & accuratè ad examen  
revocem, ut nihil in ea vel DEI, vel MARIÆ  
oculis displicens latere patiar, bona conscien-  
tia fit mihi optima ad mortem præparatio,  
O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosis-  
sima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto  
corde, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: meas actiones &  
affectus hodie examinabo, quomodo me in  
cultu & amore B. V. habeam.

Quicumque sentit impugnationem ab ho-  
stibus, mundo, carne, vel Dæmone, respi-  
ciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur  
MARIAM, & ipsa mittet auxilium. *Innoc. 3.  
ser. 2. de Assum.*

Quæstio: An præstet à B. V. petere victo-  
riam in tentationibus, an à stimulo carnis  
liberationem?



**S** Philippus Nerijs, cujus ob amoris vehementiam crescens cor majus in pectore spatium miraculo obtinuit, omnes spes suas habuit in MARIA. Ab hac sepius visitatus, sanitati restitutus. Vidit à Deipara jam-jam ruituram sacelli, in quo orabar, trabem sustentari. Idem sigilli locò Deiparæ imagine utebatur, *Balingh.* Pone tu eandem ut signaculum super cor tuum.

S. Philippe cujus intercessione plurimas à DEO gratias Clientes tui impetrârunt, respice preces mæas, doce frigidum hoc & rude cor meum artem amandi, mihi que à MARIA tam corporis, quàm animæ sanitatem impetra, ut utrâque ad DEI & Matris ejus amorem utar, donec utriusque affectibus immoriar. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibili-um & actualium creaturarum &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Si Mariano sigillo uti non possim, possum sanè literis nomen ejus præfigere.

Verè Deipara suâ pietate, charitate, præsidio, ac patrocinio omnia potest ex dono Filii, à quo Omnipotente omnipotens est effecta. *Rich. à S. Laur. l. 4.*

Quæstio: An certus esse possim, MARIAM nunc in cœlo mei meminisse?



S. Joannes I. Papa imaginem Deiparæ, sonantibus sponte Urbis Romanæ campanis, ex Angelorum manibus accepit, quæ in templo à porticu deposita, præter plurima prodigia, tunc & aliàs pestem sedavit. *Balingh.* Vide quam cœlum hominibus præscribat medicinam.

S. Joannes qui in Constantinopolitana urbis porta cæco visum restituiti, ora pro me MARIAM, ut illa oculos, omnesque sensus corporis mei regat & protegat, & à peccatis omnibus, quæ sunt deterrima pestis animæ semper protegat usque in finem meum, ubi suâ intercessione vitam æternam mihi obtineat. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinites te saluto: te omni possibili omnium possibili & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Aliquam à Miraculis celebrem Deip. iconem colere hodie conabor.

Eò nos ò MARIA propensiori studio juva, precamur, & fove: quò in mundi fœcibus natos & alitos potiori levamine prospicis indigere. *S. Ans. de excel. V. c. 12.*

Quæstio: An ex plurium hominum salute crescat MARIÆ in cœlo gloria?



**S.** Andreas Salus videre Deiparam meruit, pro universo populo orantem, & super omnes capitis sui velum explicantem. *Boll.* Ubi mundus esset, nisi *MARIÆ* precibus fulciretur.

**S.** Andrea, vides mundum in maligno positum, vides animam meam inter tot malorum illicia de salute periclitantem, adesto precibus tuis, & *MARIAM*, quæ nullum in se confidentem despicit, mihi redde propitiam, sub maternum ejus pallium me recondo, ut nunc & maximè in hora mortis meæ protectionis suæ velum super me explicet. **O** Sanctissima *DEI*, & mea, Mater pretiosissima! ego *N.* indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibili & actualium &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: exemplo *P. Sanchez S. J.* urbem ingressurus prius *B. V.* quam propriam ædem adibe, aut si hoc non possim, saltem affectu salutabo.

Ab initio renovationis humanæ omnibus sub tuum præsidium confugientibus hucusque succurristi, & idcirco præ omni creatura, omni laude dignissima dici & esse meruisti. *S. Ans. de excel. V. c. 12.*

Quæstio: An lac Deiparæ habuerit eandem virtutem, ac fructus arboris vitæ? *v. Vega Theol. Mar. pal. 6. ser. 15.*



S. Andreas Chio, Martyr Marianus, Febricitans à Deip sanitatem recepit, postquam votum virginittatis emisit. In novem dierum durissima carnificina unicum illud semper ore volvebat: S. MARIA adjuva me. In servandæ castittatis memoriam veste semper candidâ usus est. *Surius*. Candidati sunt MARIÆ albicantes.

S. Andrea qui toties MARIÆ auxilium promptum es expertus, ora nunc extra omne periculum & dolorem constitutus, etiam pro me, ut illa me adjuvare dignetur in vita, & in morte potissimum, cujus honori & amori corpus meum carnificibus cruciandum libens devoveo. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies milles, imò infinites te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, &c f. 2

Ad quod impetrandum: Eos in mea obsequia opifices aut Mercatores præ reliquis adhibebo, qui aliquo è MARIÆ familia nomine sunt baptizati.

Quantò MARIA altior existit, tantò humilior non respicit, omnes ad se habere cupiens, pro quibus in utero gestavit Salvatorem.  
*Conc. Basile ser. 43.*

Quæstio: An lac B. V. quo Christum lactavit, fuerit Miraculosum? v. *Salmer. to. 3. tr. 33.*



S. Ferdinandus Rex, Deiparæ addictissimus, ejus imaginem semper secum in castris habuit, cui suas referebat victorias in acceptis, plus in ea spei, quàm in omni cum potentissimis fœdere reponebat. Hispali obsessus B. Virginis iconem adiit suppetias petiturus. Mortuus ad imaginis Deip. pedes sepeliri petiit. *Boll.* Ibi etiam post mortem floret ejus memoria, quidquid enim MARIA calcaverint, rosa fiet.

S. Ferdinande qui regnorum tuorum tutelam MARIÆ credidisti, te mediante microcosmi & ego mei curam MARIÆ offero: illa regat sensus, dirigat potentias, illa de corpore, animaque disponat; me totum, quantum quantus sum illius directioni subjicio: si me illa rexerit, salva sunt omnia. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Victus ego me ad pedes MARIÆ abjiciam, nec jam meus, sed ejus totus ex asse futurus.

Trahe me ô MARIA torpentem, ut reddas poenitentem. *Idiota Contempl. c. 1.*

Quæstio: An Christi corpus ex temperamento quod è MARIÆ corpore accepit, fuisset immortale, nisi occisum fuisset? *v. Barri. an. Mar. c. 44.*



**B.** Jacobus Venetus cum B. Virginis officium recitaret, recentem e coelo rosam accepit. Illud saepe repetere fuetus: Felix lingua! quæ non novit nisi de Divinis misere sermonem. Plurimis post mortem miraculis clarus. *Nad. an Cæl.* Hæc Mariophilorum hæreditas est.

B. Jacobe qui quadriennio sædo carcinomate laborans, miræ dedisti patientiæ specimina, te nunc rogo; ut ubi supremi corpus morbi convulserint, mihi tolerantiam à MARIA impetres. Illa mihi sit solatio in doloribus, illa adjutorio in periculis, illa in omnibus omnia. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, placere & servire desidero. Hoc unum per pretiosissimum JESU Filii tui sanguinem, &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum: Officium de laudibus Virginis hodie recitare conabor.

Habentibus devotionem ad Beatissimam V. signum est permagnum prædestinationis ad gloriam. *B. Alan. de psalt. Vir.*

Quæstio: An Deipara in primo instanti conceptionis noverit omnes homines, qui futuri erant? *Vega Theol. Mar. n. 1690.*



**F**estum B. Virginis à corde hodie celebra-  
tur. B. Hermannus ex Ordine S. Domi-  
nici; ut affectum in cor Mariæ ostenderet,  
quotidie in ejus honorem Ave MARIA reci-  
tavit: quod studium pietatis ita cor Deipa-  
ræ emolliit, ut ei cum maximè indigeret,  
nempe in agone, opem ferret. *Leand. in Vi.*  
Hæc est cor universi, ex quo nostra vita pro-  
cedit.

O Sanctissimum MARIÆ cor! tu tanto  
DEI amore flagrafti, ut vi ejus amoris salu-  
tis nostræ opus & adventum DEI hominis  
maturaveris, tibi cor meum offero, suscipe il-  
lud in cordis tui clientelam, amo te plusquam  
me; amo omni possibili omnium creatura-  
rum amore. O Sanctissima DEI, & mea, Ma-  
ter pretiosissima / ego N. indignissimus filius  
tuus ex toto corde, omnibusque tam corpo-  
ris, &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Sæpius hodie cor  
Marianum corde, quàm potero, intensissimo  
salutabo.

Cor nostrum MARIA est, quia sicut nihil  
est, quod nobis possit esse intimius corde no-  
stro, ita post DEUM nihil est in mundo,  
quod ita diligamus dulciter, ita verè &  
fortiter, ut MARIAM *Io. Prag. in Mar.*  
c. 83.

Quæstio: An ex cordis Mariani sanguinis  
guttis conceptum fuerit Christi corpus. *v. Ve-*  
*ga Theo. Mar.*



B. Agnes Ordinis S. Claræ, filia Regis Bohemiarum, animam nacta totam Marianam, ut quæ præter hanc nihil amare videretur. Hæreditatem in tres partes divisam ita distribuit, ut Monialibus unam, pauperibus alteram, Ecclesiæ demum Marianæ tertiam dederit, in eadem sepulta. *Mayr.* Quidni vel partem reddamus illi, à qua omnia accepimus.

B. Agnes! quàm DEI & ejus Sanctissimæ Matris amor regales thalamos deserere docuit, doce me, quo ritu in MARIAM liberalis esse possim, millena accepi beneficia, quam nulla rependo? tu meas vices supple, & impetra beneficium supremum, felicem agonem. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies, millies, imò infinities &c. f. 2.

Ad quod impetrandum MARIÆ, ut filia DEI Patris cogitationes, Matri Verbi æterni verba, Sponsæ Spiritûs Sancti opera omnia ex nunc in perpetuum dedicabo.

Mater DEI ubique imperiosa est, ubique magna: Secundùm charitatem erga Superos & super inferos per discretionem *Rich. à S. Laur. l. 4.*

Quæstio: An cor MARIÆ plura & majora in vita mortali gaudia, an dolores habuerit?



S. Clotildis Clodovæi Regis Conjugis ad fidem conversionem multis à Deipara precibus impetravit; illi proinde omnis, qui floret in Gallia MARIÆ cultus, velut fundatrici debetur. Defuncta ad pedes S. Genesivæ pauperis ancillæ recondi voluit. *Ex vita.* Major virtus in majori.

S. Regina doce me dignitatem omnem infra virtutem ducere, ut ita transeam per temporalia, ne perdam æterna. Esto & pro me apud MARIAM sollicita, ut in vera fide quam profiteor, moriar; spe, quam habeo, non confundar, & charitate æternum DEUM & MARIAM complectar. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium &c. f. 2.

ad quod impetrandum: Obsequia, cultum & amorem à quibusvis MARIÆ cultoribus ei exhibita, mihi quantum licet, appropriabo, & in unum collecta actionibus meis affectivè includam.

MARIÆ certò pronum est Angelos sanctos nobis in ministerium mittere, & ad beneplacitum suum inferorum facta quassare. *Rich. de S. Laur. l. 4.*

Quæstio: An Clodovæus victoriis, an Clotildis implantato MARIÆ cultu plus boni Gallias præstiterit?



S. Gualterus cum stella in humero natus, Romanæ urbis Præfecti filiam sibi pro sponsa oblatam repudiavit, dicens: Nullam in orbe sceminam suis amoribus dignam esse præter MARIAM, ad hujus amorem Virginitatis voto se obstrinxit, cujus periculum ne subiret, vox cælo allapsa, ut fugeret, monuit. *Phil. Ferr.* Utinam pedes nostri alati forent.

S. Gualtere impetra mihi à MARIA, ut cælo Magistro edocear, quæ DEO circa me placita sunt, & ut ea constanter exequar, malimque ipsi quàm hominibus placere: cujus unius favor plus in agone mihi feret solatii, quàm totius orbis obsequia & applausus. O Sanctissima DEI, & mea Mater pretiosissima! ego N indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibili-  
lium &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Amore Marianam puritatem imitandi fugiam hodie quid, quid ei posset adversari.

Tota pulchra meritò dicitur MARIA, quia pulchra fuit facie, pulchra mente & corpore, quæ etiam ipsis Principibus tenebrarum terribilis fuit. *Rich de S. Vict. c. 26. in cant.*

Quæstio: Utrum aliquis sanguis in Eucharistia sit sanguis Deiparæ. *Vid. Vega in Theol. Mar. num. 1484.*



**S.** Bonifacius Archi-episcopus Moguntinus. S. cujus hodie Natalis, cum Thuringos ad Christi fidem convertisset, pro ea stabilienda templum Deiparæ condidit, plurimis in locis idolo MARIÆ imagines substituit, sua omnia sic prodegit, ut ei per aves cœlum de victu providere debuerit. *Nad. an. Cæl.* Non vidi justum derelictum, Matris est filiis providere.

S. Bonifaci, cui hoc Nomen Germania pro beneficiis grata dedit, doce me omnibus benefacere, cum opibus non possim, saltem verbo & exemplo; ut inter eos censear, de quibus dictum est: non vidi malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: MARIÆ amatoribus benefaciam, & iis quæ possum singularis amoris & benevolentia signa exhibebo.

Virginis animam DEUS mirificè sublimavit, eique imperium super universum mundum donavit, Angelorumque Dominam æternaliter constituit. *in Rev. S. Brig. c. 20.*

Quæsti: An Deipara dicenda Mater naturalis, an plus supernaturalis Christi. *V. Vega in Theol. Mar. pal. 24. cer. 9.*



S. Norbertus Archiepiscopus Magdeburgensis è vano aulico asperioris vitæ fenerator & fundator Ordinis Præmonstratensis, à Deipara vestem albam, uti & donum puritatis accepit. Eundem nonnemo sub lilii imagine in cælum vidit transportari. *Ex vita*  
Hi soli flores virent perpetui.

S. Norberte cui & vestem & regulam & locum Ordini condendo præmonstravit cælum; impetra mihi à Deipara, ut mihi quoque viam ad cælum præmonstret, quam anima mea è corpore egressura sequatur. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum quantum possibile &c. f. 2.

Ad quod impetrandum gratias DEO agam pro omnibus beneficiis Deiparæ unquam collatis, idque majori agam affectu, quàm si pares ego accepissem.

Sicut Populus DEI à Pharaone per Virgam Moyfis, ita à Diabolo Ecclesia per Virgam Jesse MARIAM liberata est. *Honorius c. 4. in cant.*

Quæstio: Utrum visio DEI sit majus bonum maternitate DEI. *v. Theol. Mar. Vega. Pal. 25. cer. 2.*



**S.** Heribertus dum nasceretur radiis perfusus Sanctitatis præfagium dedit. Deipara eum solata, ejus Orationes à DEO exauditas esse nuntiavit. Eidem locum condendo monasterio ostendit, ut ubi abundavit olim peccatum & cultus Dæmonum, ibi regnet pietas. *Ex Vita.* Hæc est mutatio dextera Excelsi.

Iniquitatum mearum heu! nimium magnarum abundantiam cum dolore & tremore recogito, certus de commisso, incertus de remisso delicto: Sed tu, ô Sancte Heriberte pro me apud Deiparam perora, ut tandem aliquando serio DEO & MARIÆ vivam, ac iisdem moriar. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium &c. *sol. 2.*

Ad quod impetrandum mense quovis aliquod MARIÆ festum recolam, nempe præter ea, quæ passim nota 16. Aprilis dolorum, 4. Maji gaudiorum, 1. Junii cordis Mariani.

MARIA nos protegit contra Diabolum, contra vitia ac peccata quasi igneus murus. *Rich. l. 7. de lau. Vir.*

Quæstio: Utrum Maternitas DEI sit forma sanctificans. *Vide Vega Theol. Marian. num. 1602.*



B. Eremicola (cujus Nomen cœlo quàm nobis notiùs) vidit Deiparam coram filio suo suos in Vita dolores recensentem, quos 1. ex Simeonis Prophetia, 2. ex amisso JESU, 3. ex ejusdem captivitate, 4. ex crucifixione, 5. ex corporis depositione percepit, quorum memoriam recolentibus singulares Christus gratias spondit. *In vitis PP.* Solamen est etiam MARIÆ, socios habuisse dolorum.

O B. Anonyme ora pro me Deiparam, ut dolorum ejus memor novos ei dolores peccatis & ingratitude causare subterfugiam, sed per ejus merita finalem, quæ singularis est, gratiam consequar. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde omnibusque tam corporis quàm animæ viribus centies millies, imò infinities saluto: te omni possibili &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: ad accendendum etiam in aliis Deiparæ amorem libros de ea legendos suadebo, aut procurabo & disper-tiar.

MARIA murus est & Mater, murus ad protegendum, Mater ad nutriendum; murus infirmis, Mater parvulis, murus per fortitudinem, Mater per pietatem. *Guili. Abb.*

Quæstio: An præ doloribus mori debuisset B. V. nisi per miraculum servata fuisset?



S. CYRILLUS Alexandrinus Episcopus in concilio Ephesino Angelicæ Salutationi residuas voces: *S. MARIA Mater DEI ora pro nobis peccatoribus nunc, ac in hora mortis nostræ*, adjecit. Ibidem Matris DEI dignitatem totis viribus contra Nestorium propugnavit. *Baling.* Ut ex umbra lucis, ita adversariis Marianæ puritatis, fulgor capit incrementum.

S. Cyrille juva me immensa Marianæ miserationis divitias recolere, ut inter mortis angustias deprehensu ad eam confugiam clamans cum gemitu: *Virgo Deipara fer auxilium, quæ sola es totius mundi tutela. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: &c. fol. 2.*

Ad quod impetrandum exemplo hodierni Anchiætæ S. J. vel versus, vel rithmos, vel aliud quid, Mariano honori componere studebo.

Fecit mihi magna qui potens est, ait *MARIA*, potentiam fatetur, nec amplius dicit, quia sciri non potest, quanta est, de qua verissimè scitur, quia immensa est. *Hugo de S. Victore.*

Quæstio: An aliquem in mortali peccato mortuum à damnatione liberaverit? *V. Richard. à S. Vict. l. 4.*



S. Margarita Scotorum Regina Deiparæ officio dicendo tanto in affectu & gustu immorabatur, ut ei tres horas impenderet; nuptiale palatium in templum convertit, novem pupillis indies cibum de genu præbere, & pauperibus pedes abluere solita; singulis noctibus somnum precibus ad Deiparam interruptit. *Hist. Scot. l. 12.* Augustus Mariano amoris dies est.

S. Margarita quæ tot pauperes misericordix operibus adjuvisti, in me quoque tuas miserationes exere, fac ut ita noctes diebus jungam, ut & illæ mihi viam faciant ad diem æternitatis Beatæ. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies milles, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Ita Marianum hodie orando rosarium persolvam, ut ad salutationes singulas novum Elogium addam.

Cùm eadem, communisque sit potestas Matris & Filii, sequitur, ab Omnipotente Filio omnipotentem effectam esse Matrem, non est enim potestas nisi à DEO, usque adeò, ut dicere possit cum Filio: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. *Rich. à S. Viç. l. 4.*

Quæstio: Nox, an dies Devotioni ad Deiparam opportunior?



**S.** Joannes à S. Facundo Deiparæ Patrocinio natus, ejusdem instinctu Religioni addictus, inter sacrificandum in altum elevatus, puritatis frequens in concionibus Patronus, à purissima Virgine meruit in agone visitari, vivus & mortuus semper Marianus. *Ex vita.* Amat nos, priusquam redamari à nobis possit MARIA.

S. Facunde doce me MARIÆ pro beneficiis, etiam incognitis, ab ea mihi collatis debitas grates quàm facundissimè dicere. Ingratissimus sum, nisi omniâ mea ei consecrem, supplex obsecro, ut per eam felicem ex hac vita transitum nanciscar. O Sanctissima DEI & mea, Mater preciosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omnipossibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: De Marianis laudibus hodie facundus esse vel linguâ, vel calamo, laborabo.

Omnes liberationes, & indulgentias factas Patribus in veteri testamento, non ambigo DEUM fecisse ob hujus benedictæ Virginis MARIÆ reverentiam atque amorem. *S. Bernard to. 4. ser. 5. c. 2*

Quæstio: An calamo, an linguâ facta laus Virgini gratior? efficacior?



B. Hrofnata Princeps Bohemus, mortuus  
 in auras editus, sed per Deiparæ intercessi-  
 onem vitæ redditus est, aliàs aquis haustus  
 submersione ejusdem ope præservatus,  
 ut gratum se Mariæ sisteret, Ordinem Præ-  
 monstratensium ingressus, duo Servatricis suæ  
 honori Monasteria condidit. Ut quod ipse  
 post mortem non posset, essent lapides, qui  
 debitas Mariæ gratias & laudes loquerentur.  
*Chron. Præm. Miræi.* Quot tu te titulis Mariæ  
 debes?

B. Hrofnata, qui mortuus vitam à Maria  
 recepisti, pro me apud eandem vitæ tuæ Ma-  
 trem intercede, ut post hanc vitam beatam  
 mortem obtineam. Illa tibi fuit Mater vitæ,  
 mihi, fit Mater beatæ mortis. Talis ut sit,  
 meum & Propositum & Votum est, quòd  
 vivens velim ejus esse, filius. O Sanctissima Dei,  
 & mea Mater pretiosissima! ego N. indignis-  
 simus filius tuus ex toto corde, omnibusque  
 tam corporis, quàm animæ viribus centies  
 millies, &c. f. 2.

Ad quod impetrandum, quidquid pulchri,  
 aut magni videbo hodie, illud me ad amorem  
 Deiparæ stimulabit, cogitantem his majorem  
 & pulchriorem illam esse.

Maria misericordiæ visceribus abundat  
 in omnes pauperes, est domus refugii omnibus  
 confugientibus ad eam. *Novar. L. 4. disc. 57.*

Quæstio: An homo possit semper sine cessa-  
 tione Mariam laudare? H XIII.



S. Antonius de Padua Gratissimum Deiparæ hymnum esse : *O gloriosa Domina &c.* ab eadem didicit , cujus recitationi est immortalus : tempore pluvio rosario capiti imposito ab omni pluvia intactus processit. Dæmonem se præfocare volentem solo Mariæ Nomine fugavit. Hæc eidem morienti adstitit consolatrix. *In vita.* Non est vis , neque consilium contra Mariam.

S. Antoni , quem in numeris Deus per orbem miraculis gloriosum reddit , fac me quoque in tuorum numerum venire miraculorum : gratiam Dei heu toties perditam da ut reperiam , nec unquam amittam ; illud demum à Maria impetra , ut ubi mors fauces occludere paraverit , illæ Jesum & Mariam loquantur. O Sanctissima Dei , & mea , Mater pretiosissima ! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde , omnibusque tam corporis , quam animæ viribus centies millies , imò infinities te saluto : te omni possibili &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum hymnum illum Antonio à B. Virgine commendatum recitabo.

Per te ô Maria Regnum cœlorum speramus nos assecuturos , te nostræ salutis habemus adiutorem , te nostri auxilii habemus defenso- rem. *S. Greg. Nicom. de pres. B. V.*

Quæstio : An Mater Dei fuerit impeccabilis ? *Raynau. in Diptycha. Mar. p. 2. p. 9.*



S. Basilius Virginitatem suam, orationibus je-  
 juniis ac studiis custoditam, illibatam tu-  
 mulo intulit, vel ex hoc Mariæ favorem meri-  
 tus, nam dum in templo coram icone Deiparæ  
 cum populo oraret contra Julianum, hunc eo-  
 dem tempore occisum esse S. Mercurius, cujus  
 eo in templo reliquiæ asservabantur, exhibuit.  
*Surius.* Quam suis amabilis, tam terribilis in  
 hostes suos est Maria.

S. Basili ora pro me Deiparam, ut animam  
 meam ab omnibus hostium insultibus, maxi-  
 mē in supremo agone liberet, & suā interces-  
 sione ad portum tranquillitatis æternæ salvam  
 deducat. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pre-  
 tiosissimi mei! ego N. indignissimus filius tuus ex  
 toto corde, omnibusque tam corporis, quam  
 animæ viribus centies, millies, imò infinities te  
 saluto: te omni possibili omnium possibilium  
 & actualium creaturarum affectu amare, tibi  
 usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum  
 possibile erit, placere &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: sæpius hodie tem-  
 plum adibo Mariam rogaturus id ipsum.

Ad hoc Deus noster pro te ô Maria factus est  
 Frater noster, ut quemadmodum ipse digna-  
 tus est consors fieri nostræ humanitatis, sic nos  
 mereamur fieri per te consortes suæ divinita-  
 tis. *S. Erne. de ex. V. c. 12.*

Quæstio: An preces privatim, an in templo  
 peractæ Mariæ grationes veniant?



S. Landelinus juvenis primùm optimus, Mariæ addictissimus, quam peregrinationibus, & oratione piè venerabatur, tandem malorum consortio è juvene Angelico pessimus evasit, sed unum sociorum damnatum videns respuit; opes templo & Monasterio Mariæ condendo addixit. *Nadasi.* Rara avis! plures sunt, qui innocentiam nunquam perdidērunt, quàm qui perditam repererunt.

S. Landeline ora pro me, ne malorum exemplo, alloquio, aut consuetudine à semita justitiæ vel latum unguem recedam; & si fortè fragilitas mea me in transversum egerit, fac ut prius redeam, quàm vitæ mors terminum obiciat. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, &c. f. 2

Ad quod impetrandum, quam hodie societatem habuero, ea talis erit, quæ Mariæ displicere non possit.

Nihil tuæ ò Maria resistit potentia, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo jussui, omnia tuo obediunt Imperio, omnia tuæ potestati serviunt. *B. Greg. Nico. or. de B. V.*

Quæstio: Utrum B. V. potuerit aliquem ad æterna supplicia jam damnatum ex inferno liberare, v. *Barri an. Mar. c. 48.*



S. Lutgardis Virgo, duodecim annos nata juveni ad se ventitare solito dixit: *Recede a me pabulum mortis*; Deiparam ductricem ad sumptionem SS Eucharistiæ habuit, & contra humanos respectus Magistram; visum perdidit, sed cæcam solata est Deipara, quæ postremis quinque vitæ annis eam quotidie, id est, plusquam bis millies visitavit, ac morientem cum Filio adstitit. *Cantipr. in vita.* His duobus à cælo aberrare vel cæca nequit.

S. Lutgardis Virgo, cujus cor amore Martyrii adeo fervebat, ut arteria pectoris rumperetur, purifica cor meum, ut nihil amet, aut desideret quàm qui foli amari volunt sine corrivali, Jesum & Mariam; ò utinam amem eos, ut viderentur amari: impetra ut moriens eosdem Duces habeam. O sanctissima Dei, & mea Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum, vel hodie, vel die, quæ commodior erit, proximâ, eâ devotione SS. Eucharistiam sumam, quasi Deiparam haberem assistentem.

Tuam ò Virgo gloriam Creator existimat esse propriam, & tanquam filius in ea exultans, quasi debitum exsolvens, implet petitiones. *S. Greg. Nicom. ibid.*

Quæstio. An in pane Eucharistico reliquiæ B. Virginis adorentur? *v. Celad. in Jud. fig. c. 8. §. 18.*



S. Rainerius peccatum in confessione ex verecundia subticere volens, ab Angelo correptus, veniam per Deiparam petiit, & obtinuit; cui in pane & aqua jejunanti Virgo conviva adfuit dicens: *Fili mi Raineri in meo sinu quiesces*; Eidem præ pænitentium lachrymarum copia oculis capto visum restituit. *Nad. Scelera si tacentur, in coelum clamant.*

S. Raineri magne pænitens, impetra mihi cor pænitens, ut tot scelerum meorum abominations sincerè agnoscam, verè doleam, integrè confitear; sicq; cor contritum & humiliatum non despiciat Deus, sed Mater misericordiae filium prodigum, qui consumpsit innocentiam suam recipiat in gratiam suam & Filii. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnib;que tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum conscientiam accuratissimè excutiam, ne quid oculis Mariæ invisum in ea lateat.

Cur non juvabis peccatores Maria, quando propter nos in tantam celsitudinem es elevata, ut te Dominam habeat & veneretur omnis creatura. *S. Ans. de exc. V. c. 12.*

Quæstio: An major à Virgine gratia innocentem conservari, quàm à peccati consuetudine revocari?



B. *Osanna Mantuana* adhuc puella à *Deipara* legere & scribere est edocta, cui filium aliàs amplexandum dedit, quin eum eidem, annulo digitis inserto, desponsavit, cui arrhæ loco *Christus* crucem porrexit. *Chr. Ord. S. Ben.* Cur tu humeros subtrahis, crux amoris est Index.

O B. *Osanna* ora pro me Deum & *Deiparam*, ut crucem humeris meis impositam lætus in peccatorum meorum heu! quàm multorum, quàmque grandium satisfactionem cum alacritate accipiam, eorundemque auxilio constanter feram, donec mihi morienti illa fiat clavis *Paradyfi*. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, &c. fol. 2.

Ad quod impetrandum: Prima hodie surgentis & ultima decumbentis vox erit *Jesus* & *Maria*.

Tu ô *Maria* procura, ne pereamus; effice ut salus nostra de die in diem multiplicetur, & *Filio tuo Domino nostro* vita nostra jugi devotione famuletur. *S. Ans. ib.*

Quæstio: An *Deipara* lætetur Clientes suos hic adversis premi?



B. Juliana Falconeria Virgo, Mariæ à cunis devotissima, quot hebdomadis feriâ IV. & VI. nihil, sabbatho panem tantum & aquam in cibum admittebat; cum ad Mariam oraret, pleni ei semper terrimarum lachrymarum oculi, plenum ignis sancti cor; cum ob languorem corporis Sanctissimo Viatico refici non posset, per miraculum refecta est. *Nad.* Ubi terrena fastidimus, incipiunt placere caelestia.

B. Juliana devota Virginis ancilla, repetit tuos ad Mariam affectus; vel tenues mihi ex ardenti illa cordis tui vulcania scintillas communica, ac pro me intercede, ne mihi ulla terrena solatia impediant illud, quod nunc ab illa humiliter supplico, Beatæ mortis solatium. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, inò infinites te saluto: te omni possibili omnium &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum gulam hodie in aliquo fraudabo, ut eam Mariæ servire cogam.

B. Virgo largissima fui, quia dedit mundum, id est humilitatem, quæ est instar mundi, & homini in mundo dedit regnum cœlorum, & ipsum Deum B. *Alb. M.*

Quæstio: An per communionem reddamur consanguinei Mariæ?



nis & Florentina Soror S. Leandri Hispalensis Episcopi hodie nascitur: Hæc 40. monasteriis Ordinis S. Benedicti præfuit, in singulis magnaræ virtutis edens specimina; Ex iis unum Dominæ nostræ de valle vocabatur, in quo 300. Moniales ad cultum Marianum erudiebatur. *Balingb.* Scis quomodo? Exemplo, non præcepto.

S. Florentina esto & mea in amore Mariæ Magistra, doce me eam venerari ut advocatam, colere ut Dominam, amare ut Matrem; de valle lachrymarum nunc ad eam suspiro; ora ut illa me aliquando educat super montem Sion, ubi gemitu deterso sit pax & consolatio immortalis. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima lego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium, possibilium & actualium creaturarum affectu, amare, tibi usque ad ultimum &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum, aliquid agam hodie pro honore B. Virginis, ex quo alii quoque exemplum sumere possint, qui voluerint.

Aurora rutilans es Maria, veri solis splendorem præcessisti, ut verè diem salutis, diem propitiationis à tua claritate initiare dignum fuerit. *B. Alcuinus de Nat. B.V.*

Quæstio: An viri, an mulieres plus devoti B. Virgini? H 5 XXI.



**B.** Aloysius Gonzaga S. J. non nisi ope B. Virginis vitam auspicatus, ejusdem amor totam consecravit; vel audito ejus nomine præ dulcedine in lachrymas solutus; novennis ejus honori Virginitatem vovit, decimo quinto ætatis anno ab eadem ad Societatem Jesu ingrediendam admonitus, Angelus vixit. *Ex vita.* Terra cœlum fieret, si multos Aloysios numeraret.

O Juvenis Angelice Aloysi, cujus tota post Deum fiducia Maria erat, intercede apud eam pro me, ut sicut tua prima loquentis verba Jesus & Maria fuere, ita eadem sint mea ultima morientis, & sicut tu canens mortem obiisti, ita & ego lætus eam excipiam. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum sæpius, & cur non quotidie, ab ea pro morte petam assistentiam.

Absit hoc à Matre Dei, quæ fontem pietatis toti mundo peperit, ut cuiquam miserorum suæ misericordiæ subventionem unquam denegat. *Guil. Paris. de Rhet. div. c. 18.*

Quæstio: An reliquis hominibus non existentibus; ob solam Deiparam, Christus carnem assumpsisset? *v. Vega Theol. Mar. n. 1807.*



S. Eberhardus Episcopus, ut amorem suum in Mariam opere testaretur, nihil illi negavit, quod in mariæ nomine petiit, ob quam liberalitatem illud promeruit, ut ei Deipara cum calice aureo, pleno liquore cœlesti, apparuerit. *Nadafr.* Qui vult Mariam Matrem, pauperum agat Patrem.

S. Eberharde mihi quôq; unam à te gratiam mendicanti te Patrem ostende, utque negare non possis, per veterem & modernum tuum in Mariam amorem te rogo, ut nunc in cœlo gloriosus pro me apud illam intercedas, ut se mihi propitiam in agone reddat & mortis amaritudinem suæ opis dulcedine mitiget. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Elegantem ejus iconem visurus hodie Artifici bene precabor.

Maria speciosior facta est, & dignior quam totus mundus; quia quem mundus non merebatur accipere, in cubiculo uteri sui sola ipsa suscipere meruit. *S. Chrysost.*

Quæstio: An Mariæ chariùs sit, opes ejus amore in pauperes erogare, an opus aliquod stabile ejus honori curare?



S. Maria Ogniacensis iconem Deiparæ medio milliari distitam nudis pedibus frequentare, per 40. dies quotidie millies ac centies genu flectere, ac trecendos flagello ictus, totidem salutationes Angelicas dicendo sibi infligere sueta, omnia quæ petebat, ab eadem impetrabat, recitando Magnificat immortua. *Surius.* Quid tam importunè petenti negare possit cœlum?

S. Maria, ad quam supplices è purgatorio animæ illic detentæ tendebant manus, me quotq; precum tuarum memoriæ commendo; impetra, ut corpus, hostem domesticum meum ita tractem, prout prodest animæ meæ, ne hæc in egressu suo ob illius vitia viam æternitatis ingredi meritò reformidet. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum negligens sim, hunc diem hunc sine flexis coram aliqua Deiparæ icone poplitibus abire sinam.

Ave perpetuæ vernans castitatis paradysus, in quo vitæ lignum plantatum omnibus salutis fructum fundit, fons miserationum fluens ubertim emittens. *S. Ber. ser. de Ann.*

Quæstio: Factâ optione: Ut vel Virginitatem servaret, vel hac amissâ Filium Dei pareret, quid Maria elegisset? *v. Vega. pal. 19. cer. 7.*



S. Joannes Baptista necdum natus, jam ad  
 Mariæ præsentiam exultavit in utero ma-  
 tris, ad ejus salutationem sanctificatus, in vita  
 frequenti cum Christo & Deipara conversa-  
 tione fructus, sanctos suos in eum affectus fo-  
 vebat, sed & post mortem sæpius cum Maria  
 conspicuus fuit mariophilis, eosq; ad novum  
 in Deiparam amorem excitavit. *Nad.* Quò te  
 vox clamantis invitet, audi, & sequere.

O Sanctissime Joannes, quo non surrexit  
 major inter natos mulierum, qui à Dei Matre  
 Christum utero ferente prius sanctificatus es,  
 quam natus, impetra mihi ab eadem, ut non  
 moriar, nisi remisso omni peccato sanctifica-  
 tus; scio purissima Virgo, quomodo labem  
 omnem detesteris, abole quæso veteres omnes  
 è corde meo maculas, purifica illud ut scis &  
 vis. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretio-  
 sissima! ego N. indignissimus filius tuus &c. *f. z.*

Si in deserto loco aut campis me solùm ver-  
 sari contigerit, faciam ut & ii laudes Marianas  
 me præcinente audiant.

Quidquid gratiarum, quidquid virtutum,  
 quidquid operationum cœlestium mundus  
 accepit, emissiones tuæ sunt. *ô Maria I. Ruper.*  
*Abb. incant.*

Quæstio: An Joannes exultans in utero  
 Deiparam præsentem agnoverit? *V. Barrab.*  
*hic.*



S. Cristina, mirabilis dicta, quia ter mortua bis revixit, visis enim animarum purgatorii poenis tantâ earum commiseratione mora est, ut pro earum redemptione mira egerit, & passa sit; cultui Mariano addictissima dicere solebat, plurimos qui damnantur, perire, quod amorem Mariæ negligent. *Mayr.* Quid mirum Matre salutis neglectâ filios fieri perditionis.

S. Cristina toties & semper bene mortua! bene moriendi artem præ cæteris omnibus Sanctis meliùs, quia usu repetito didicisti, me quòque eam doce? & ora ut Mariani cultûs zelotes inter eos non censear, qui ab ejus cura exclusi veniunt in numerum reproborum. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quàm animæ viribus, censies millies imò infinities &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Deiparam hodie orabo, ut illa suâ præsentia animas purgantes soletur.

Omnes generationes beatam dicunt Mariam, sicut ad ipsam pietatem omnes habent saltem naturalem, naturalem enim habent amorem omnes generationes ad eam post Dominum Jesum. *Gerf. tr. 3. in magn.*

Quæstio: An B. Virgo præsentia suâ aliquando consoletur animas purgatorii: maxime suo honori plus addictas.



S. Anthelmus Episcopus ex ordine Carthusianorum officium Deiparæ quotidie recitavit, quod ut totus Carthusiensium ordo faceret, S. Petrus è cælo monuit, & facile spontè suâ in Mariana obsequia pronis Dei servis persuasit. *Nad.* Meritò quotidie colitur, cujus auxiliis quotidie indigemus.

S. Anthelme, quis novit an ad Vesperam mihi vitæ terminus prolongabitur, aut quando me infelicem peccatorem mors occupabit? juva me proinde, ut quotidianis Mariano honori præstitis obsequiis ita me ad eam disponam, ut quodocunque advenerit, beata mihi veniat non imparato. O Sanctissima Dei, & mea Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Omnes SS. Mariophilos hodie singulariter rogabo, ut imperfectum meum amorem suo suppleant.

Utinam prædicem te Virgo, quantum prædicanda es; utinam diligam, quantum diligenda es; utinam laudem te, sicut laudabilis es; & serviam tibi, sicut serviendum est gloriæ tuæ. *Ildeph. c. 1.*

Quæstio: Utrum festo pentecostes Deipara sacramentū confirmationis acceperit? *V. Suarez. 10. 2. in 3. p. disp. 19. ser. 3.*



S. Ladislaus Rex & miles Marianus, gladio  
 simul & rosario manum contra hostes  
 pugnaturus armavit, suisque prætulit: semper  
 victor. In loco igneis cervi cornibus designa-  
 to Basilicam Deiparæ Varadini condidit, quod  
 corpus ejus exanime sine ullis vectoribus pro-  
 peravit. *In vita.* Nihil miror, quod filius spon-  
 te suâ currat ad Matrem.

S. Ladislæ, qui semper cœlo & Mariæ cu-  
 ræ fuisti, ora pro me ut salutem meam curet  
 Mater Dei, neque animam meam de corpore  
 sinat egredi, nisi per Dei misericordiam re-  
 conciliata sit, ut secura evolare possit in con-  
 spectum hujus Matris. O Sanctissima Dei, &  
 mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissi-  
 mus filius tuus extoto corde, omnibusque  
 tam corporis, quam animæ viribus centies  
 millies, imò infinities te saluto: te omni pos-  
 sibili omnium possibilium & actualium crea-  
 turarum affectu amare, tibi &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum, cur non saltem  
 semel acturus aut scripturus aliquid, Brachio  
 rosarium obvolvam pro felici successu.

Gratis desidero, gratis affecto colere, bene-  
 dicere & prædicare Mariam, beatam & bea-  
 tificandam per omnes generationes. *Gerfon. 10.*  
*3. in magn.*

Quæstio: Plusne amoris in Deiparâ ex-  
 hibuerit Divus Ladislaus vivus, an mortuus?

XXVIII.



S. Paulus Papa solatium ægrorum & pauperum, quos noctu, etiam Pontifex, clanculum adibat, & liberaliter juvabat. Ut affectum in Mariam palam faceret, magnificentum ei templum condidit, inibi tumulari petens, ut tam vivus quam mortuus ex toto Dei Matris esset.

*Vita.* Nullibi mollior quies, quam in sinu Matris.

S. Paule, qui vivens tibi de tumulo providisti, ora pro me, ut ita ego morti meæ provideam, ut anima mea post mortem mereatur in Mariæ conspectum venire; tibi nunc pro te me fisco pientissima Virgo, finum tuum sacratissimum petere non præsumo, fac me solum scabellum pedum tuorum. & desideria mea liberalissime implevisti. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quam animæ viribus, centies milies, imò infinities te saluto, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Noctem hanc Mariæ servire faciam, nec eam transigam, quin opus aliquod charitatis aut pietatis honori Mariano præstem.

Per Virginem mortalium genus redintegratum est, per quam primogenitam matris Evæ mœror in lætitiâ mutatus. S. Joannes Damasc. or. 1. de nat. Vir.

Quæstio: An Deipara vivens miracula in terris patraverit?



S. Petrus Apostolus primus omnium Torto-  
sæ sacellum in Deiparæ adhuc viventis ho-  
norem erexit, & Virginalem domum, in qua  
nata & educata illa fuerat, in formam templi  
redegit, maximo post Deum affectu Mariam  
prosecutus. *Hist. Eccles.* Utinam caput hoc  
Ecclesiæ omnia membra sequantur.

S. Petre Apostolorum Princeps, tibi, ut ait  
Gregorius, precibus suis Deipara delicti ve-  
niam impetravit ora pro me pariter, ut ejus  
intercessione omnium vitæ meæ delictorum  
veniam impetrem, ut sic illâ propitiâ, tēque  
mihi favente januas cœli mihi merear reseca-  
ri. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretio-  
sissima! ego N. indignissimus filius tuus ex  
toto corde, omnibusque tam corporis, quàm  
animæ viribus centies millies, imò infinities  
te saluto: te omni possibili omnium possibi-  
lium, & actualium creaturarum &c. f. 2.

Ad quod impetrandum cum Cæsare Baro-  
nio hodie fati functo sæpius scribam, G. S. M.  
quod ille solitus est agere scribendo plusquam  
sexcenties C. S. M. id est: Cæsar Servus Mariæ

Ecce Virgo mulierum egregia è Virginibus  
electa præclarum naturæ nostræ ornamen-  
tum, gloria luti nostri. *Hesichius.*

Quæstio: An vivens Deipara cultu dulci  
coli potuerit à S. Petro.



**B.** Arnulphus Ordinis Cisterciensium, quotidie gaudere B. Virginis recolebat, quam ferè non aliter, quàm cor suum, nominabat; quo affectu reciprocè cor Mariæ lucratus, quæ ei ferè quotidie spectabilis adfuit, illum sua in cœlo gaudia edocuit, quin aliquando Jesulum ulnis ejus inservit. *Nad.* Plura mundanis & puriora gaudia spiritus habet.

B. Arnulphe doce me illa gaudia sectari, quæ me ab æternorum gaudiorum participatione non excludant: ora per gaudia Matris hujus, ut gaudens illam horam subeam, à qua æterna pendent vel gaudia vel lamenta; doleo nunc ah! Utinam satis doleam! Deum offensum, inhonoratam Virginem, gaudia mea in cœlum differo. O sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum septem Mariæ gaudiorum hodie memoriam recolam, ad quorum honorum totidem P. & A. recitabo.

Inter omnia opera æterni opificis, post generationē illā, quā naturæ nostræ unitus est filius tuus, speciale opus fuisti ô Maria! qui ad hoc te fecit, ut quod de primo opificio fuit deformatū, per te reformaretur. *Idiot. in cont. B. V. c. 4*


Quæstio: An præ gaudiorum intensione mori debuisset Deipara, nisi per miraculum servata fuisset?

*Finis partis prima.*




*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

































Th  
2965